

Commentarii in utranque Pauli epistolam ad Timotheum: [Calvin Jean], [1548]

CONTENTS

<i>IN PRIOREM PAVLI EPISTOLAM ad Timotheum, argumentum.</i>	3
<i>IOANNIS CALVINI COMMENTARII IN PRIOREM Pauli Epistolam ad Timotheum.</i>	5
CAPVT I.	5
<i>PAVLVS APOSTOLVS Iesu Christi secundum ordinationem Dei saluatoris nostri, et Domini Iesu Christi spei nostrae: Timotheo germano filio infide, gratia, misericordia, pax a Deo patre nostro, et Christo Iesu Domino nostro. Quemadmodum rogauite, ut maneres Ephesi, cum proficiscerer in Macedoniam, volo denuncies quibusdam, ne aliter doceant, neque attendant fabulis et genealogiis nunquam finiendis: quae quaestiones praebent magis quam aedificationem Dei, quae in fide consistit.</i>	5
<i>Porro finis praecepti est charitas, ex puro corde, et conscientia bona, et fide non simulata. A quibus postquam nonnulli aberrarunt, deflexerunt ad vaniloquium, volentes esse Legis Doctores, non intelligentes quae loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quod Lex bona sit: si quis ea legitime utatur, sciens illud, quod iusto non sit Lex posita, sed iniustus et inobsequentibus, impiis, et peccatoribus, irreuerentibus et profanis, parricidis et matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiaribus, mendacibus, periuris, et si quid aliud est quod sanae doctrinae aduersetur, secundum Euangelium gloriae beati Dei quod concreditum est mihi.</i>	7
<i>Et gratiam habeo, qui me potentem reddidit Christo Iesu Domino nostro, quod fidelem me iudicauit ponendo in ministerium, qui prius eram blasphemus et persecutor, et violentus. Sed et misericordiam adeptus sum, quod ignorans feci in incredulitate.</i>	10

<i>Exuberavit autem supramodum gratia Domini nostri cum fide, et dilectione quae est in Christo Iesu. Fidelis serino, et dignus omnino qui accipiat, quod Christus Iesus venit in mundum ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Verum ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, in exemplar iis qui creditur i essent in ipso in vitam aeternam. Regi autem seculorum immortalis, inuisibili, soli sapienti Deo, honor et gloria in secula seculorum, Amen.</i>	12
<i>Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes super te Prophetias: ut milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam, a qua auersi quidam circa fidem naufragium fecerunt: ex quibus sunt Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Sathanae, ut discant non maledicere.</i>	14
CAPVT II.	17
<i>ADhortor igitur, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus in eminentia constitutis, ut placidam et quietam vitam degamus cum omni pietate et honestate.</i>	17
<i>Hoc enim bonum et acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.</i>	17
<i>Vnus enim Deus, vnus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, ut esset testimonium temporibus suis, in quod positus sum praeco et Apostolus. Veritatem dico in Christo, non mentior, Doctor Gentium in fide et veritate.</i>	19
<i>Volo igitur orare viros in omni loco, sustollentes puras manus, absque ira, et disceptatione. Consimiliter et mulieres in amictu modesto cum verecundia et temperantia ornare semetipsas, non tortis crinibus, aut auro, aut Margaritis, aut vestitu sumptuoso: sed quod decet mulieres profitentes pietatem per bona opera.</i>	23
<i>Mulier in quiete discat, cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque imperiosam esse in virum, sed quietam esse. Adam enim creatus fuit prior, deinde Eua. Et Adam non fuit deceptus, sed mulier decepta, transgressionis rea fuit. Seruabitur autem per generationem, si manserint in fide, et charitate, et sanctificatione, cum temperantia. . .</i>	25
CAPVT. III.	27

C	ERTVS sermo: Si quis episcopatum appetit, praeclarum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxoris maritum, sobrium, temperantem, compositum, hospitem, aptum ad docendum, non vinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum, sed aequum, alienum a pugnis, alienum ab auaritia, qui domui suae bene praesit, qui filios habeat in subiectione, cum omni reuerentia. Quod si quis propriae domui praesesse non nouit: EcCicsiam Dei quomodo curabit? Non nouitium, ne inflatus in condemnationem incidat Diaboli. Oportet autem illum et bonum testimonium habere ab extraneis: ne in probrum incidat et laqueum Diaboli.	27
	<i>Diaconos similiter graues, non bilingues, non multo vino deditos, non turpiter lucri cupidos habentes mysterium fidei in pura conscientia. Et hi probentur primùm: deinde ministrent, vbi irreprehensibiles comperti fuerint. Mulieres similiter graues, non calumniatrices, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint vnus vxoris mariti, qui honeste praesint filiis et domibus suis. Nam qui bene ministrauerint, gradum sibi bonum acquirunt, et multam libertatem in fide, quae est in Christo Iesu.</i>	32
	<i>Haec tibi scribo, sperans breui ad te venire. Quod si tardauero, vt videas quomodo oporteat in domo Dei versari, quae est Ecclesia Dei viuientis, columna et firmamentum veritatis. Et sine controuersia, magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, visus Angelis, praedicatus Gentibus, fidem obtinuit in mundo, receptus est in gloria,</i>	33
	CARVT. IIII.	36
	37
2 2	<i>Haec suggerens fratribus, bonus eris Iesu Christi minister, innutritus sermonibus fidei, et bonae doctrinae, quamsecutus es. Profanas autem et aniles fabulas deuota. Quin potius exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio paululum habet vtilitatis: at pietas ad omnia utilis est, vt</i>	41
	<i>quae promissiones habeat vitae praesentis ac futurae. Indubitatus sermo, dignus que qui modis omnibus approbetur. Nam in hoc et laboramus, et probris afficimur, quod spem fixam habemus in Deo viuente, qui seruator est omnium hominum, maxime fidelium.</i>	42
	<i>Praecepte haec et doce. Nemo tuam iuuentutem despiciat. Sed esto exemplar fidelium, in sermone, in conuersatione, in charitate, in spiritu, in fide, in castitate. Donec venio attende lectioni, exhortationi, doctrinae. Ne donum, quod in te est, negligas: quod tibi datum est per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Haec cura, in his esto: vt profectus tuus in omnibus manifestus fiat. Attendetibi ipsi et doctrinae. Permane in his. Hoc enim si feceris, et teipsum seruabis, et eos qui te audiunt.</i>	44
CAPVT. V.		46

S ENIOREM ne aspere obiurges: sed hortare vt patrem, iuniores vt fratres, mulieres natu grandiores vt matres, iuniores vt sorores cum omni castitate. Viduas honora, quae vere sunt viduae. Porro si qua vidua liberos aut nepotes habet, discant primùm Doceit propriam domum pie tractare, et mutuam rependere progenitoribus. Hoc enim acceptum est coram Deo.	46
Porro quae vere vidua est ac desolata, sperat in Deo, et perseuerat in orationibus et obsecrationibus noctu et die. Quae autem in delitus versatur, viuens mortua est. Et haec praecipe, vt irreprehen sibles sint. Quod si quis suis, et maxime familiaribus non prouidet, fidem abnegauit: et est infideli deterior.	48
Vidua deligatur non minor annis sexaginta quae fuerit vnus viri vxor, in operibus bonis habens testimonium, si liberos educauit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lauit, si afflictis subministrauit, si in omni bono opere fuit assidua. Porro iuniores viduas reiice. Cumenim lasciuere coeperint aduersus Christum, nubere volunt, habentes condemnationem, quod primam fidem reiecerint. Simul autem et ociosae discunt circuiredomos: nec folum ociosae, verùm etiam garrulae et curiosae, loquentes quae non oportet.	50
Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare aduersario, vt habeat maledicendi causam. Nonnullae enim iam deflexerunt post Sathanam. Quod	52
.	53
Presbyteri, qui bene praesunt, duplici honore digni habeantur. Maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura: Non obligabis os boui trituranti. Et, Dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusationem ne admittas, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue: vt et caeteri timorem habeant. Contestor coram Deo, et Domino Iesu	54
.	55
Manus cito ne cui imponas: neque communices peccatis alienis. Temet ipsum purumcustodi. Ne posthac bibas aquam: sed paululo vino vttere, propter stomachum tuum, et crebras tuas infirmitates. Quorundam hominum peccata ante manifesta sunt, festinantia ad iudicium: in quibusdam verò etiam subsequuntur. Simil'iter et bona opera ante manifesta sunt, et quae secus habent, latere nequeunt.	57
CAPVT. VI.	59
Q VICVNQVE sub iugo sunt serui: suos Dominos omni honore dignos existiment: vt ne Dei nomen et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles ha'bent dominos, ne despiciant, eo quod fratres sunt. Sed magis seruiant, quod fideles sint et dilecti, et beneficent iae participes.	59

<p><i>Christi, et ei quae secundum pietatem est doctrinae: inflatus est, nih il sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum: ex quibus oritur invidia, con tentio, maledicentiae, suspitiones malae, superuacuae conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate priuatisunt, existimantium quaestum esse pietatem. Seiungere a talibus.</i></p>	<p>60</p>
<p><i>Est autem quaestus magnus pietas, cum sufficientia. Nih il enim intulimus in mundum: certum quod neque efferre quidquam possumus. Habentes autem alimenta et tegmina, his contenti erimus. Nam qui volunt ditescere, incidunt in tentationem et laqueum, et cupiditates multas stultas et noxias, quae demergunt homines in exitium et inte ritum. Radix enim omnium malorum est auaritia, cui addicti quidam aberrarunt a fide, et seipsos implicauerunt doloribus multis.</i></p>	<p>62</p>
<p><i>Tu vero, o homo Dei, haec fuge. Sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatein, patientiam mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei. Apprehende vitam aeternam, ad quam etiam vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Denuncio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, et Christo Iesu, qui testificatus est bonam confessionem coram Pontio Pilato, vt serues mandatum immaculatus et irreprehensibilis, vsque ad reuelationem Domini nostri Iesu Christi: quam suis temporibus manifestabit beatus et solus princeps, Rex regnantium, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, qui lumen habitat inaccessum, quem vidit nullus hominum, nec videre potest, cui honor et potentia aeterna, Amen.</i></p>	<p>64</p>
<p><i>His qui diuites sunt in hoc seculo praecipe, ne efferantur, neve sperent in diuitiarum incertitudine, sed in Deo viuo, qui abunde suppeditat omnia ad fruendum, vt benefaciant, vt diuites sint in operibus bonis, faciles ad largiendum, libenter communicantes, recondentes sibiipsis fundamentum bonum in posterum, vt vitam, quae vere aeterna est, apprehendant. O Timothee depositum custodi, deuitans profana vaniloquia, et oppositiones falso nominatae scientiae: quam quidam profitentes aberrarunt a fide. Gratia tecum, Amen.</i></p>	<p>68</p>

IOANNIS CALVINI COMMENTA. RII, IN VTRANQVE Pauli Epistolam ad Timotheum. GENEVAE, PER IOANNEA GERARDVRS 1548 ILLVSTRISS. ET VERE CHRISTIANO PRINCIPI, D. Etuardo Sommerseti Duci. Comiti Hertphordiae, et c. Angliae et Hiberniae protectori, tutorique. Regio: Ioannes Caluinus, S.

CV M praeclari isti sermones, qui tuin de aliis tuis virtutibus plane Heroicis, tum vero de singulari tua pietate habentur (Illustriss. Princeps) tantum vbique tui amorem in bonorum omnium animis, quibus alioqui de facie ignotus es, excitent: necesse est incredibile te charitatis ac reuerentiae affectu prosequantur, quicumque in Regno Angliae recte sapiunt: quibus non modo palam cernere, quae alii audientes mirantur bona, datum est, sed fructum inde percipere, quantus a praestantissimo gubernatore prouenire, cum ad totum populi corpus, tum ad vnuinquodque membrum solet. Neque enim quae constanti faina celebrantur tuae laudes, vanitatis suspectae esse possunt, quasi ab adulatoribus profectae, cum in rebus tuis gestis illustre extet earum testimonium. In priuato et mediocri fortunae pupillo, difficilis est administratio tutelae. Tu vero non Regis modo, sed amplissimi regni tutelam tibi iniunctam ea dexteritate ac prudentia sustines, vt successum omnes mirentur. Ac ne inter leges modo et in tranquillo reip. statu niteret tua vir

tus, eam in bello quoque spectandam proposuit Deus, quod pari foelicitate ac fortitudine hactenus auspiciis tuis gestum est. Neque tamen interea tot tantae que difficultates, quas reputare cuius promptum est, tu expertus es, impedimento tibi fuerunt, quominus instaurandae religionis curam imprimis susciperes. Cogitat io sane non magis principe viro digna, quam publico Regni bono vtilis. Nam haec demum stabilis est regnorum foelicitas, fidelis que custodia, si is in quo fundata sunt, et per quem seruantur, Filius Dei illis praesideat. Itaque melius rem Anglicanam stabilire non poteris, quam profligatis idolis, purum ibi Dei cultum erigendo. Nam id fieri non potest, quin restituatur genuina pietatis doctrina, quae sacrilega Antichristi Romani tyrannide, nimis diu oppressa iacuit. Quod est, Christum in suo tribunali collocare. Atque hoc eximium alioqui facinus eo maiori laude propterea dignum est, quo pauciores hodie inter eos qui gubernacula tenent, reperiuntur, qui princ ipatus sui insignia spiritali Christi sceptro submittant. Praeclare igitur serenissimo Regi consultum est, cuius pueritiae talis ex sua cognatione obtigit moderator. Nam tametsi indolem eius imprimis generosam omnes praedicant: tamen et formandis ad virilem constantiam eius moribus, ex constituendae Anglicanae Ecclesiae, dum aetas ipsum non patitur has obire vices, ta

lis artifex erat plusquam necessarius. Nec dubito, quin ipse iam nunc agnoscat, diuinitus te sibi datum esse, ex cuius manu res ex voto compositas pau lopost reciperet. Me vero nec tanta locorum distantia, nec conditionis meae humilitas impedire potuit, quominus praestantissimum hunc propagandae Christi gloriae affectum tibi gratularer. Et sane, cum me vnum ex iis esse voluerit Deus, quorum opera, laboreque sinceriosem Euangelii doctrinam hodie mundo restituit: cur non te quoque sin gula ri Dei beneficio, eiusdem doctrinae patronum ac vindicem ordinatum, qualicumque locorum interuallo sim abs te dissitus, qua possum obseruant ia prosequar? Et quoniam non aliud huius rei testimonium reddere licebat, saltem arrae loco, hos in duas Pauli Epistolas meos commentarios tibi offerendos esse putavi. Nec vero fortuitum munus, quod offerrem, arripui: sed iudicio elegi, quod videbatur optime conuenire. Hic Timotheum suum admonet Paulus, quali doctrinae genere aedificanda sit Ecclesia Dei, quibus et vitiis

et hostibus resistendum, quam multa deuoranda taedia: hortatur ne vllis difficultatibus caedat: vt omnia discrimina animi fortitudine superet: vt improborum proteruiam autoritate coerceat, ne quid hominum gratiae ambitiose largiatur. Denique in his
 45 duabus Epistolis, quasi in viua tabula depictum habemus verum Ecclesiae regimen. Tu, cum instaurandae Ecclesiae Anglicanae, quam scelerata Papatus impietas, vt alias fere omnes Christiani orbis, misere corruperat, strenuam operam impendas sub Regis tui auspiciis: et multos ad eam rem Timotheos in opere habeas: sancta certe vestra studia melius componere non potestis, quam ad hoc Pauli quasi praescriptum
 50 exigendo. Nam neque hic quidquam habetur, quod non sit temporibus nostris valde aptum: et nihil ferme rursus in Ecclesiae architectura necessarium est, quod non hinc etiam haurire liceat. Labor autem meus mediocre saltem adiuetum, vt spero, afferet. Quod expe- rientia tamen cognosci malo, quam verbis iactare. Tibi porro (Nobiliss. Princeps) si fuerit probatus: erit cur mihi plurimum gratuler. Pro singulari quidem tua
 55 humanitate quin officium hoc meum boni consulturus sis, non dubito. Dominus, in cuius manu sunt fines terrae, statui Regni Anglicani diu incolumem florentemque tueatur: Regem serenissimum tum Spiritu principali ornet, tum bonis omnibus cumulet, tibi que in praeclearo isto cursu de foeliciter pergere: vt per te Nomen eius magis ac magis propagetur.
 60 Geneuae 8. calendas Augusti.
 548.

IN PRIOREM PAVLI EPISTO

lam ad Timotheum, argumentum.

HANC Epistolam aliorum magis, quam Timothei causa scriptam fuisse, iudico: et mihi assentientur, qui diligenter omnia expendunt. Non equidem nego, quin eius quoque docendi et monendi rationem Paulus habuerit. Sed multa hic contineri dico,
 65 quae superuacuum fuisset scribere, si cum solo Timotheo habuisset negocium. Iuuenis erat, nondum ea autoritate instructus, quae sufficeret ad cohibendos homines proteruos, qui contra insurgerent. Apparet autem ex Pauli verbis, fuisse tunc nonnullos, qui cum ostentatione pollerent, non libenter cuius erant cessuri: qui tanta deinde ambitione flagrabant, vt nullum turbandae Ecclesiae finem facturi essent, nisi quispiam maior
 70 Timotheo se interponeret. Apparet similiter, multa Ephesi fuisse consticienda, quae Pauli calculum et nomen desiderarent. Ergo cum Timotheum multis de rebus monere haberet in animo, sub eius quoque nomine alios, eadem opera, monere voluit. Ac primo quidem capite, aduersus quosdam ambitiosos armat, qui vanis quaestionibus agitan dis se venditabant. Eos porro Iudaeos fuisse, colligi potest, qui cum legis zelum simularent, negleda aedificatione, tantum curiosas disputationes ingerebant. Haec autem
 75 profanatio est legis Dei minime ferenda, ex ea nihil excerptum quod prosit: sed tantum garriendi materiam captare, eiusque praetextu ad onerandam friuolis nugis Ecclesiam, abuti. Cuiusmodi scilicet corruptela pluribus quam oportuit, sculis regnauit in Papatu. Quid enim aliud fuit scholastica theologis quam immensum inanum et nihili speculationum chaos? Et hodie extant plerique, qui vt acumen suum ostentent, in tractando Dei verbo, non secus ac in profana philosophia, ludere sibi permittunt. In eiusmodi vitio coarguendo authorem se Timotheo profitetur Paulus: et quid ex lege praecipue

discendum sit, admonet: vt appareat legis esse corruptores, qui ea secus vtuntur. Porro,
 ne contemptui sit sua autoritas, postquam indignitatem suam confessus est. simul
 85 qualis esse coeperit per Dei gratiam, honorifice praedicat. Tandem caput concludit graui
 denunciatione, qua et Timotheum in sana doctrina, et bona conscientia confirmat: et
 alios terret, proposito Hymenei et Alexandri exemplo. Secundo capite, iubet omnes in
 precibus publicis commendari Deo et nominatim principes ac magistratus vbi obiter
 90 etiam attingit, quid vtilitatis percipiat mundus, ex ciuili gubernatione. Cur autem pro
 omnibus concipi debeant preces, ratio additur, quia Deus Euangelium omnibus offerendo
 et Christum mediatorem, omnes se velle saluos fieri demonstret. Quod
 etiam confirmat a suo Apostolatu, qui Gentibus proprie destinatus erat. Inde omnes,
 cuiuscunque sint loci aut regionis, ad Deum orandum inuitat: et hac occasione, qualem
 modestiam et subiectionem in sacro coetu praeseferre debeant mulieres, disserit. Capite
 95 tertio, vbi indicauit, quam praeclarum sit munus episcopatus, verum Episcopum depin-
 git, ac dotes enumerat, quae in eo requiruntur. Postea quales esse debeant Diaconi et
 vxores tam horum quam illorum, praescribit. Ac quo plus diligentiae ac religionis in
 omnibus obseruandis adhibeat Timotheus, reducit illi in memoriam, quid sit in Ecclesiae
 administratione, quae Domus Dei est, ac columna veritatis, versari. Tandem totius
 100 coelestis doctrinae praecipuum caput et quasi cardinem de Filio Dei in carne manifestato,
 commemorat: prae quo reliqua omnia leuia ducenda sint. Quod ad sequentia pertinet.
 Nam initio capitis quarti tam falsas doctrinas de coniugii et ciborum prohibitione, quam
 ineptas fabulas cum hoc capite non congruentes, seuere damnat. Et deinde subiicit, eos
 sibi et piis omnibus qui caput hoc tenent, solos esse aduersarios, qui ferre nequeunt, vt
 105 spes collocetur in Deum viuum. In fine capitis rursus noua exhortatione Timotheum con-
 firmat. Quinto capite, vbi modestiam in reprehensionibus et senitatem illi commendauit,
 de viduis disputat, quae tunc in Ecclesiae ministeriuni cooptabantur. Ac vetat omnes
 promiscue recipi: sed que tota vita probatae ad annum sexagesimum peruenerint, et nul-
 lum habeant onus domesticum. Inde ad presbyteros transit, et qualiter tractandi sint, tum
 110 in victu, tum in disciplina, admonet. Hanc doctrinam graui contestatione quasi sancit:
 et iterum prohibet, ne quos temere in ordinem presbyterii recipiat. Hortatur vt leuandae
 valetudinis causa vinum bibat aquae loco. In fine capitis hortatur, vt in peccatis occultis
 iudicium suspendat. Sexto capite, de seruorum officio praecipit: et hac occasione in
 falsos doctores inuehitur, qui de ociosis speculationibus litigando. quaestui magis quam
 115 aedificationi intenti sunt: et quam exitiosa sit pestis auaritia, docet. Inde iterum ad
 contestationem priori similem reuoluitur, ne frustra Timotheo haec praeceperit. Sub
 finem. postquam obiter de diuitibus meminit, iterum prohibet Timotheo, ne se inanibus
 doctrinis impediatur. Vulgatae Graecorum inscriptioni, quae habet hanc Epistolam fuisse
 Laodiceam missam, non assentior. Nam cum Paulus ex vinculis scribens Colossensibus
 120 testetur, Laodicensis nunquam sibi fuisse visus: coguntur, qui in illa sunt opinione,
 quam repudio, duplicem facere Laodiceam in Asia minori: quum alteram non celebrent
 scriptores. Deinde Paulus Timotheum Ephesi reliquerat, vt declarant eius verba, cum
 iret in Macedoniam. Hanc Epistolam, aut scripsit ex itinere, priusquam illuc
 appulisset, aut iam profectioe confecta, reuersus. Atqui longius a Macedonia distare
 125 Laodiceam constat, quam Ephesum ipsam. Neque rursus verisimile est, ipsum in reditu,
 praeterita Epheso, Laodiceani se contulisse. Praesertim cum illuc eum multae causae
 vocarent. Itaque magis existimo aliunde eum scripsisse. Quamquam hoc ipsum non est
 tanti, vt velim cum dissentientibus contendere. Fruatur quisque suo iudicio. Tantum

indico, quid magis iit, meo iudicio, probabile.

IOANNIS CALVINI

COMMENTARII IN PRIORem Pauli Epistolam ad Timotheum.

CAPVT I.

PAVLVS APOSTOLus Iesu Christi secundum ordinationem Dei saluatoris nostri, et Domini Iesu Christi spei nostrae: Timotheo germano filio infide, gratia, misericordia, pax a Deo patre nostro, et Chri sto Iesu Domino nostro. Quemadmodum rogauite, vt maneres Ephesi, cum proficiscerer in Macedo niam, volo denuncies quibusdam, ne aliter doceant, neque attendant fabulis et genealogiis nunquam finiendis: quae quaestiones praebent magis quam aedificationem Dei, quae in fide consistit.

130 Paulus Apostolus.) Si soli Timotheo scripsisset: non opus erat adscribere hoc epitheton, et ita asserere, vt facit. Contentus enim proculdubio fuisset Timotheus solo nomine. Sciebat enim esse Chri sti Apostolum: nec indigebat vlla probatione, quo fidem illi deferret. Alios ergo potius respicit, qui non tam erant ad ipsum audiendum voluntarii: vel
135 esse testatur, ne paruipendere au sint, quod scribit. Et apostolatam suam confirmat ordinatione, vel decreto Dei: quia nemo Apostolum creare se ipse potest: sed quem Deus ordinavit, ille verus est Apostolus et dignus honore. Neque Patrem solum apostolatus sui facit authorem, sed illi Christum adiungit. Et certe in Ecclesiae gubernatione nihil agit Pater, nisi per Fi lium, et ita communiter cum Filio. Deum saluatorem vocat: quem
140 titulum Filio tribuere saepius solet. Patri tamen eo ipso conuenit, quia est qui nobis dedit Filium. Merito igitur illi salutis nostrae gloria adscribitur. Vnde enim salui sumus? Nempe quia sic nos dilexit Pateryt per Filium nos redimere voluerit, ac saluare. Quod au

I. TIMOTH.

tem Christum appellat spem nostram, proprie illi conuenit. Tunc enim incipimus bene sperare, cum in Christum respicimus: quandoquidem in eo solo residet tota salutis
145 nostrae materia.

Timotheo germano filio.) Non est hoc paruae laudis elogium, quo significat Paulus, se pro vero ac non degenere filio agnoscere Timotheum, et talem ab aliis vult agnoscere. Imo perinde Timotheum commendat, acsi esset alter ipse. Sed qui conueniet hoc cum sententia Christi? Nolite vobis patrem vocare in terra. Item cum illo Apostoli testimonio:
150 Et si multos habetis patres secundum carnem, vnus tamen est Pater spirituum. Respondeo, Paulum ita uibi vsurpare nomen patris, vt Deo nullam honoris sui particulam abroget, aut minuat. Vulgare dictum est: non pugnare quod subordinatur Tale est paternum in Paulo nomen respectu Dei. Vnicus in fide Pater omnium est Deus, quia omnes verbo suo et Spiritus sui virtute regenerat: quia solus est qui fidem confert. Sed quibus ad eam rem
155 dignatur vti ministris, eos in honoris sui communicationem etiam admittit, nihil tamen sibi derogando. Erat ergo Deus spiritualis Timothei pater: et quidem solus, proprie

[p.2]

loquendo. Sed Paulus, qui minister fuerat Dei in gignendo Timotheo, quasi subalterno iure titulum sibi vindicat.

160 Gracia, misericordia.) Secundum hoc praeter suum morem interposuit, forte singulari erga Timotheum amore impulsus, Porro non seruat exactum ordinem. Quod enim posterius est, priore ioco posuit. Gratiam scilicet, quae ex misericordia manat. Nam ideo nos in gratiam recipit Deus, et amore nos prosequitur, quia misericors est. Verum non est insolitum, causam subiungi effectui, explicationis causa. De vocabulis gratiae et pacis, alibi dictum est.

165 Quemadmodum.) Vel oratio est defectiua: vel particula 'vae abundat. Vtroque modo sensus erit clarus. Primo reducit Timotheo in memoriam, qua de causa Ephesi manere rogatus fuerit. Non enim frustra eum a se dimiserat: sed potius vt vices illic suas sustineret. Hinc quasi per modum illationis hortatur, vt se opponat falsis doctoribus, qui puram doctrinam adulterabant. In eo quod Timotheo Ephesi mandauerat suas partes, 170 obseruanda est pia eius sollicitudo. Sie enim satagebat in colligendis pluribus Ecclesiis, vt priores non relinqueret destitutas pastore. Et sane, vt ille inquit: non minor est virtus, quam quaerere, parta tueri, Denunciandi verbum potestatem significat. Vult enim Paulus eum instruere potestate ad alios coercendos. Ne aliter doceant.) Verbum Graecum, quo vsus est Paulus, est compositum. Ideoque transferri potest, vel secus docere et nouo 175 modo: vel tradere diuersam doctrinam. Quod Erasmus vertit, sectari, non placet: quia de auditoribus posset accipi. Paulus autem eos intel

CAPVT I.

[p.3]

180 ligit, qui ambitionis eausa, nouam doctrinam ingerebant. Si legamus, aliter docere: latius hoc patebit. Nam prohibebit hoc verbo, ne patiatur Timotheus nouas docendi formas induci, quae cum vera et genuina, quam tradiderat, minus congruant. Sicut enim vna est Dei veritas, ita simplex eius tradendae ratio, minime fucata scilicet, et quae Spiritus maiestatem potius quam humanae eloquentiae pompam resipiat. Ab hac quisquis recedit, deformat ipsam doctrinam et vitiat. Er go aliter docere, referre oportebit ad formam. Si legamus, aliud docere, ad materiam referetur. Notandum tamen est, non vocari aliam doctrinam tantum, quae palam cum pura Euangelii doctrina pugnet: sed quaecunque purum 185 Euangelium, vel corrumpit nouis et aduentitiis figmentis, vel profanis speculationibus obscurat. Omnia enim hominum figmenta totidem sunt Euangelii corruptelae. Et qui scripturis ludunt profano more, vt Christianismum in artem ostentationis conuertant, Euangelio tenebras inducunt. Totum itaque hoc docendi genus alienum est a verbo Dei, et ab illa doctrinae puritate, in qua Ephesios manere iubet Paulus.

190 Neque attendant fabulis.) Fabulas vocat, meo iudicio, non tam mendacia conficta, quam nugas aut ineptias, quae nihil habent solidi. Fieri enim potest, vt non sit aliquid falsum quod tamen erit fabulosum. Qua significatione Tranquillus fabularem historiam posuit: et Liuius, fabulari, pro inepte, et absque ratione garrere. Nec dubium est, quin μύθος, quo verbo hic vsus est Paulus, Graecis significet βλοιαρία. hoc est, 195 nugas. Porro cum speciem vnam addidit exempli causa, omnem dubitationem sustulit. Disputationes enim de genealogiis numerat inter fabulas: non quia commentitium sit, quidquid de illis dici potest: sed quia inane et infructuosum. Sic ergo resolvere licebit hunc locum: Non attendant fabulis: quales aut cuius generis sunt genealogiae. Atque

200 illa est fabularis historia, cuius meminit Suetonius, quae etiam inter Grammaticos a
sanis hominibus merito semper derisa fuit. Neque enim poterat non rideula videri haec
curiositas, vtili rerum cognitione posthabita, aetatem consumere in quaerenda Achillis,
vel Aiacis prosapia, ingenium suum fatigare in numerandis Priami filiis. Si hoc non
fertur in puerili scientia, vbi oblectationi est locus: quantominus in coelesti sapientia erit
205 tolerabile? Genealogias vocat infinitas, propterea quod inanis curiositas nullum habet
modum: sed ex labyrintho subinde in labyrinthum reuoluitur.

Quae quaestiones.) AEstimat a fructu doctrinam. Quaecunque enim non aedificat,
repudianda est: etiam si nihil aliud habeat vitii. Quaecunque vero ad concertationes
solum excitandas valet, duplici nomine damnanda est. Tales porro sunt omnes argutiae,
quibus

I. TIMOTH.

210 ingenium suum ambitiosi homines exercent. Meminerimus ergo, ad hanc regulam
exigendas esse omnes doctrinas: vt ea demum probetur, quae ad aedificationem facit:
quae vero disceptationum materiam praebent absque fructu, respuantur tanquam Ecclesia
Dei indignae. Hoc examen si fuisset aliquot supra seculis obseruatum, etiam si multis
erroribus contaminata fuisset religio, saltem non adeo inualuisset diabolica ista ars
215 litigandi, quae Scholasticae theologiae nomen obtinuit. Quid enim illic continetur praeter
rixas, aut ociosas speculationes, vnde nullus profectus redit? Proinde quoquisque in ea
doctior, eo miserior iudicandus est. »cio quibus eam coloribus excusationum praetexant.,
ed nunquam efficient, vt I'aulus ipsas dam nando sit mentitus.

220 AEdificationem Dei.) AEdificant enim eiusmodi argutiae in superbia aedificant in
vanitate: sed non in Deo. AEdificationem Dei nominat, vel quae Deo probatur, vel
quae secundum Deum est. Eam porrò docet in fide consistere. Quo dicto non excludit
charitatem, nec timorem Dei, nec poenitentiam. Nam haec omnia quid aliud sunt, quam
fructus fidei? Quia ergo in sola fide sciebat fundatum esse totum Dei cultum, ideo satis
habuit fidem nominare, vnde reliqua dependent.

*Porro finis praecepti est charitas, ex puro corde, et conscientia bona, et fide non simulata.
A quibus postquam nonnulli aberrarunt, deflexerunt ad vaniloquium, volentes esse
Legis Doctores, non intelligentes quae loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus
autem quod Lex bona sit: si quis ea legitime vtatur, sciens illud, quod iusto non sit
Lex posita, sed iniustis et inobsequentibus, impiis, et peccatoribus, irreuerentibus et
profanis, parricidis et matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus,
plagiariis, mendacibus, periuris, et si quid aliud est quod sanae doctrinae aduersetur,
secundum Euangelium gloriae beati Dei quod concreditum est mihi.*

225 Quoniam nebulones illi, quibuscum negotium habebat Timotheus, legis praetextu se
iactabantideo anticipat Paulus, ac docet

CAPVT I.

Legem non modd illis nihil suffragari, sed potius esse aduersam, cum Euangelio autem,
quod ipse docuerat, oprime conuenire. Neque enim absimilis erat illorum defensio

230 ei quam hodie nobis quaestionarii opponunt: nos scilicet nihil moliri aliud, quam vt
 aboleatur sacra theologia quasi eam soli in sinu suo fouerent. Ita illi de Lege loquebantur
 vt inuidiam Paulo conflarent. Quid autem ille? Quo fumos illos discutiat, vltro per
 occupationem suam doctrinam optime cum lege congruere demonstrat et eos omnes
 perperam lege abuti, qui in alium finem ea vtuntur. Quemadmodum hodie posita verae
 235 theologiae definitione, palam apparet, nos cupere ipsam restitutam, quae misere lacerata
 et deformata fuit ab istis nugatoribus, qui theologorum titulo frustra inflati, nihil praeter
 dilutas ac frigiditas nugae tenent. Praeceptum hic pro lege accepit, partem pro toto.

Charitas ex puro corde.) Ad hunc scopum si lex dirigenda est, vt instituamur in
 charitate, quae ex fide et bona conscientia procedat: sequitur exaduerso, peruersos esse
 legis interpretes, qui ad curiosas quaestiones eius doctrinam conuertunt. Caeterdm non
 240 magni interest, charitatem hoc loco ad vtranque legis tabulam, an ad secundam tantum
 referas. Iubemur Deum ex toto corde diligere, et proximos, vt nosmetipsos. Sed cum
 de charitate fit mentio in Scriptura, saepius ad secundum membrum restringitur. Hic
 quidem non dubitarem Dei et proximi charitatem intelligere, si solum charitatis nomen
 positum esset a Paulo. Sed cum addat fidem et bonam conscientiam et cor purum: non
 245 erit haec interpretatio aliena ab eius mente, et circumstantiae loci apte quadrabit. Haec
 legis summa est: vt Deum colamus sincera fide, et pura conscientia deinde vt nos mutuo
 amemus. Quisquis hinc deflectit, ille deprauat legem Dei, in alienum finem detorquendo.
 Sed hic exoritur dubitatio, quod charitatem fidei praeferre videtur Paulus. Respondeo,
 eos qui ita sentiunt, nimis pueriliter ratiocinari. Neque enim si charitas priore loco
 250 nominatur, ideo priorem habet honoris gradum: quandoquidem simul docet Paulus, ex
 fide eam manare. Causa autem effectum suum profecto ordine antecedit. Ergo si rite
 expendatur totus contextus, perinde valet, quod Paulus dicit, aesi dixisset: Hoc consilio
 data nobis est lex, vt in fide nos erudiret, quae mater est bonae conscientiae et charitatis.
 Ita exordium a fide non a charitate fieri debet. Cor purum et bona conscientia parum
 255 inter se differunt. Vtrunque ex fide manat. Nam de puro corde habetur Actorum 15.
 quod Deus fide corda purificet. De bona conscientia testatur Petrus, quod fundata sit in
 resurrectione Christi. Hinc porrò docemur, nusquam esse veram charitatem, vbi non est
 timor Dei, et conscientiae integritas. Nec leuiter praetereundum est, quod singulis addit
 epitheta. Nihil enim magis vulgare, sicu

I. TIMOTH.

260 ti nihil magis facile est, quam fidem, bonam conscientiam iactare. Sed quotusquisque
 est, qui factis ab omni se hypocrisi remotum esse demonstret? Praesertim notandum
 est epitheton fidei: quo significat fallacem esse eius professionem, vbi non apparet bona
 conscientia, vbi charitas se non exerit. Iam cum fide constet salus hominum, fide autem
 et bona conscientia et charitate constet perfectus Dei cultus: nihil mirum, si in his Paulus
 265 constituat legis summam.

A quibus postquam.) Perstat in metaphora scopi, vel finis. Nam verbum $\sigma\tau\omicron\chi$ v,
 cuius participium hic habetur, significat, a scopo deflectere, vel aberrare. Est autem
 insignis locus: quia vaniloquii condemnat doctrinas omnes, quibus hic vnus finis non
 est propositus. Et simul omnium ingenia et cogitationes euanescere admonet, vbi alio
 270 respiciunt. Fieri quidem poterit, vt multos sui admiratione percillant inutiles argutiae.

[p.6]

Stat tamen Pauli sententia, quidquid in pietate non aedificat, esse ματαιολογέαν. Quare summopere cauendum, ne aliud quaeramus in sacrosancto Dei verbo, quam solidam aedificationem, ne ipse alioqui in nobis vindicet eius abusum, tam seuero exemplo.

Volentes esse.) Non taxat eos, qui aperte impugnant legis doctrinam, sed qui potius
 275 se eius titulo venditant. Tales negat quidquam intelligere, cum inutiliter in quaestionibus curiosis ingenium fatigant. Et simul eorum arrogantiam perstringit, cuni addit, de quibus affirmant. Nulli enim audaciores reperientur ad res incognitas temere asserendas, quam eiusmodi fabularum magistri. Videmus hodie quo fastu et supercilio magistras suas determinationes crepent Sorbonicae scholae. Quibus autem de rebus? Nempe quae
 280 penitus abditae sunt humanis ingeniis, nullo Scripturae verbo, nulla vnquam reuelatione patefactae. Maiore confidentia purgatorium suum affirmant, quam mortuorum resurrectionem. Quod de sanctorum intercessione commenti sunt nisi habeatur pro certo oraculo, roram religionem conuulsam esse clamitant. Quid de coelestibus Hierarchiis, de relationibus, et similibus commentis commemorem immensos labyrinthos Genus
 285 ipsum est infinitum. In his omnibus pronunciat Apostolus impleri quod veteri prouerbio celebratum est, Audacem esse inscitiam.

Scimus quod lex bona.) Iterum calumniam paeoccupat, qua ipsum grauabant. Nam quoties eorum ostentationi resistebat. hoc quasi clypeo se tuebantur. Quid ergo? Vis ne sepultani esse legem, et deletam ex hominum memoria? Fatetur ergo Paulus, vt
 290 hac calumnia eos depellat, bonam esse legem: sed vsum eius legitimum requiri. Vbi argumentatur a coniugatis. Nomen enim legitimi ab ipsa lege deductum est. Verum vltra progreditur. Nam et legem pul

CAPVT I.

[p.7]

chre cum sua doctrina conuenire docet, et eandem in ipsos retor

Taala Quod iusto non sit lex.) Non instituit Apostolus disputare de toto legis officio: sed homines ipsos respicit. Fere enim contingit, vt qui summi legis zelotae videri affectant, tota vita se prodant sum mos esse contemptores. Cuius rei praeclarum hodie specimen relucet in assertoribus iustitiae operum, et liberi arbitrii patronis. Perpetud in ore habent perfectam vitae sanctitatem, merita, satisfactiones. Tota auteni vita clamitat, eos plusquam impios et profanos esse, pro uocare quibuscunque modis iram Dei, et
 300 iudicium eius secure con temnere. Magnifice extollunt liberam boni et mali electionem. Factis autem produnt, se esse Sathanae mancipia, et quidem arctissimis seruituris compedibus districta. Cum tales essent Pauli aduersaril, vt stolidam eorum insolentiam compesceret, admonuit, legem esse qua si Dei gladium, ad ipsos iugulandos exertum. Sibi vero suique similibus non esse causam, cur legem horrore vel odio haberet, quae
 305 iustis, hoc est, piis et voluntariis Dei cultoribus non sit aduersa. Nec me latet, doctos quosdam viros subtiliorem ex his verbis sensum elicere: quasi penitus theologice de legis natura disputaret Paulus. Colligunt enim legem nihil ad filios Dei, qui spiritu sunt regenerati, per tinere: quia iustis non sit lata. Sed loci circumstantia simplicius me accipere cogit hanc sententiam. Sumit enim vulgare illud principium: ex malis moribus natas esse
 310 bonas leges: ac legem Dei asserit latam esse ad coercendam impiorum nequitiam: quia qui sponte boni sunt, legis imperio non indigent. Nunc quaeritur, an vnus quispiam mortalium eximatur ab hoc numero? Respondeo, Paulum hic nominare iustos, non

qui sint omnibus numeris absoluti: qualis nemo reperierur sed qui praecipuo cordis affectu ad bonum aspirant: vt illis pium desiderium sit quasi lex voluntaria, absque
 315 alieno impulsu aut freno. Ergo aduersariorum impudentiam coarguere voluit. qui legis nomine se armabant aduersus pios viros, ac veram legis regulam tota vita exprimentes eum ipsi maxime opus haberent lege, et tamen eam non magnopere curarent. Quod melius opposito membro exprimitur. Quod si quis non admittat, tacite vel oblique exprobrari aduersariis, quae hic flagitia recenset Paulus, simplex tamen manebit calumniae
 320 depulsio: quod si recto et non fucato legis studio ducerentur, instruere se potius illius armis debuissent ad gerendum cum sceleribus et maleficiis bellum, quam eius colorem suae ambitioni et ineptae garrulitati praetexere.

Iniustus et inobsequentibus.) Iniustos vocat exleges, a qui bus parum differunt inobsequentes, quos secundo loco posuit. Peccatores accipit pro sceleratis, aut qui vitae
 325 sunt turpis ac flagitiosae.

I. TIMOTH.

[p.8]

Pro irreuerentibus et profanis non absurde quis transferret profanos et impuros. Sed ego in vocibus leuis momenti nolui esse tam morosus. Plagium apud veteres alieni serui subreptio aut sollicitatio vocabatur, aut falsa liberi hominis venditio. Si quis plura
 330 requirit, petat a Iureconsultis, ad legem flauiam. Caeterum genera quaedam attigit hic Paulus, quae breuiter omnes transgressiones comprehendunt. Radix est contumacia et rebellio, quam primis duobus vocabulis notauit. Per impios et peccatores videntur prioris et secundae tabulae transgressores designari. His subiicit profanos et impuros, vel turpi vita inquinatos. Cum autem tribus praecipue modis laedantur proximi, violentia, fraudibus et libidine: tres istos modos ordine taxauit: vt promptum est videre.

Si quid est aliud.) Hoc membro contendit, aded non pugnare suum Euangelium cum lege, vt sit optima eius confirmatio. Testatur enim se comprobare sua praedicatione eandem sententiam, quam Dominus lege sua tulit aduersus ea omnia, quae sanae doctrinae contraria sunt. Vnde sequitur, eos legis animam minime tenere, qui ab Euangelio
 340 recedunt: sed vmbrae duntaxat sectari. Euangelium gloriae, pro glorioso. In quo tamen acriter eos perstringit, qui extenuando Euangelio imminebant: in quo Deus suam gloriam exerit. Nominatim addit sibi fuisse creditum: vt omnes intelligant non aliud esse Dei Euangelium, quam quod praedicat: ideoque fabulas omnes quas prius reprehendit, alienas esse tam a lege quam ab Euangelio Dei.

Et gratiam habeo, qui me potentem reddidit Christo Iesu Domino nostro, quod fidelem me iudicauit ponendo in ministerium, qui prius eram blasphemus et persecutor, et violentus. Sed et misericordiam adeptus sum, quod ignorans feci in incredulitate.

Gratiam habeo.) Magna est Apostolatus dignitas, quam sibi Paulus vindicauit: ipse
 345 autem superioris vitae respectu nequaquam, tanto honore dignus censi poterat: ideo ne arrogantiae damnetur, necessaria ratio ad personae suae mentionem descendit. Et suae quidem indignitatis liberam confessionem edit. Caeterum nihilominus se gratia Dei esse Apostolum. Imo quod videbatur auctoritatem illi abrogare, in suum commodum tranffert: quod eo magis in se reluceat Dei gratia. Christo gratias dum agit, a seipso
 350 remouet inuidiam:

CAPVT I.

[p.9]

et ansam huie quaestioni praecidit, dignus sit necne functione, tam ho norifica. Multi quidem eadem verborum forma humilitatem praeseferunt: sed procul absunt a Pauli sinceritate. Qua de re autem agit gratias? quod in ministerio fuerit collocatus. Inde enim colligit, se fidelem iudicatum. Neque enim Christus ambitiose, quosuis assumit: 355 sed tantum eligit idoneos. Ergo quoscunque honore dignatus est, hos tanquam dignos amplectamur. Atqui videtur hoc modo Paulus, fidelitatem qua prius pollebat, causam facere suae voca tionis. Si ita esset, ficta essetatque absurda gratiarum actio. Neque enim tam Deo acceptum referret suum Apostolatam, quam proprio merito. Nego igitur hunc esse sensum: quod ideo in ordinem Apostolicum fuerit cooptatus: quia praecognita 360 esset Deo eius fides. Nihil enim praevidere boni in illo potuit Christus, nisi quod Pater in eum contulerat. Quare manet illud semper verum: Non vos me elegistis: sed ego elegi vos. Potius argumentum suae fidei inde ducere voluit, quia Apostolus creatus erat a Christo. Nam quos ita creat, quasi suo decreto pronunciat habendos esse fideles. In summa, iudicium hoc non refertur ad praescientiam: sed potius testimonium significat 365 quod hominibus redditur. Ac si dixisset: Gratiam habeo Christo, qui me in ministerium vocando, palam fecit, meam sibi fidem probari. Interponit et aliud Christi beneficium, quod ipsum confirmet. Quo verbo, intelligo continuam gratiae subministrationem. Neque enim satis fuisset, semel esse fidelem declaratum, nisi eum perpetuo auxilio confirmasset Christus. Vtrunque ergo se ex Christi gratia fatetur habere, quod semel euectus est, et 370 quod permaneat in statu.

Blasphemus.) Blasphemus aduersus Deum, persecutor et violentus aduersus Ecclesiam. Videmus quam ingenue agnoscat, quod illi probro dari poterat, quam non extenuet sua peccata. Nam persecutoris nomine non contentus, furorem suum ac saeuitiam magis exprimere voluit.

375 Quia ignorans.) Veniam, inquit, meae incredulitatis obtinui, quia ex ignorantia manabat. Nam persecutio et violentia nihil quam incredulitatis fructus erant. Atqui videtur innuere, nullum esse veniae locum, nisi vbi suppetit ignorantiae excusatio. Quid ergo si quis sciens peccauerit, nunquam ignoscet Deus? Respondeo, notandum esse incredulitatis nomen, quod dictum Pauli ad priorem legis tabulam restringit. Secundae 380 tabulae transgressiones, etiam si voluntariae sunt, condonantur. Qui sciens et volens priorem tabulam violat, quia recta se Deo opponit, peccat in spiritum sanctum. Neque enim infirmitate labitur, sed aduersus Deum impie ruendo, certum reprobationis suae signum edit. Et hinc colligi potest definitio peccati in spiritum sanctum primum, quod sit directa

I. TIMOTH.

[p.10]

385 in Deum contumacia in transgressione prioris tabulae. deinde quod sit malitiosa veritatis reiectio. Vbi enim non respuitur destinata malitia Dei veritas, non resistitur Spiritui sancto. Denique incredulitas loco generis ponitur: malitiosum autem propositum, quod opponitur ignorantiae, est quasi differentia. Perperam itaque faciunt, qui peccatum in Spiritum sanctum constituunt in transgressione secundae tabulae. Perperam et illi, qui 390 inconsideratum et caecum impetum damnant tanti criminis. Nam tunc demum peccatur in spiritum sanctum, cum voluntarium bellum suscipiunt aduersus Deum homines mortales,

vt lucem spiritus sibi oblatam extinguant. Horrenda est enim eiusmodi impieras, et immanis audacia. Nec dubium est, quin tacita denunciatione terrere voluerit omnes, qui semel illu minati fuerunt, ne aduersus cognitam veritatem impingant: quia exitialis sit casus. Nam si propter ignorantiam Paulo suas blasphemias ignouit Deus, qui scienter dataque opera blasphemant, nullam veniam sperare debent. Sed videtur id frustra dici. Nusquam enim sine ignorantia potest esse incredulitas, quae semper caeca est. Respondeo, ex infidelibus alios ita esse caecos, vt falsa recti imaginatione fallantur: alios autem sic excaecatos, vt malicia tamen praeualeat. Paulus non omnino vacuus erat prauo affectu. Sed inconsideratus zelus abripiebat hominem, vt rectum eise putaret quod agebat. Non erat ergo aduersarius Christi proposito, sed errore et inscientia. Phari saei, qui mala conscientia Christum calumniabantur, non omnino crant immunes ab errore et ignorantia sed ambitio, et impium sanae doctrinae odium, imo furiosa aduersus Deum contumacia illos inci tabat, vt malitiose et consulto, non inscienter, Christo se opponerent.

Exuberavit autem supramodum gratia Domini nostri cum fide, et dilectione quae est in Christo Iesu. Fidelis serino, et dignus omnino qui accipiatur, quod Christus Iesus venit in mundum vt peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Verum ideo misericordiam sum adeptus, vt in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, in exemplar iis qui creditur i essent in ipso in vitam aeternam. Regi autem seculorum immortalis, inuisibili, soli sapienti Deo, honor et gloria in secula seculorum, Amen.

CAPVT I.

405 Iterdm Dei erga se gratiam amplificat, non modo inui dix tol lenda ac gratitudinis suae testandae causa: sed etiam vt eam opponat improborum calumniis, qui toti in hoc erant, vt eius Apostolatam deprimerent. Cum autem dicit exuperasse, et quidem supramodum, innuit deletam esse superiorum memoriam, adeoque absorptam, ne quid illi obsesset apud bonos talem prius fuisse.

410 Cuni fide et dilectione.) Vtrunque potest ad Deum referri, hoc sensu, quod Deus veracem se praestiterit, et dilectionis in Christo suae specimen praebuerit, cum dignatus ipsum fuerat sua gratia. MaIo tamen simplicius accipere: vt fides et dilectio signa sint ac testimonia eius gratiae, cuius meminerat: ne quid frustra et temere iactare putaretur. Ac fides quidem incredulitati opponitur dilectio in Christo, saeuitiae quam exercuerat aduersus fideles acsi diceret, se ita fuisse a Deo mutatum, vt alius sit ac nouus homo.

415 Fidelis sermo.) Postquam suum ministerium ab infamia et iniquis obtreptionibus asseruit, eo non contentus, retorquet in suum commodum, quod illi poterat ab aduersariis obiici probri loco. Vtile enim Ecclesiae fuisse docet, se prius talem extitisse, quam ad Apostolatam vocaretur, quia hoc modo Christus peccatores omnes, tanquam dato pignore, ad certam spem veniae obtinendae vocauerit. Nam cum velut ex immani truculentaque belua versus fuerat in pastorem, insigne gratiae suae specimen ediderat Christus, vnde fiduciam omnes conciperent, nullis, quamlibet grauibus et atrocibus peccatis aditum sibi ad salutem praecludi. Verum primò generalem sententiam profert: Christum venisse, vt saluos faceret peccatores: et eam praefatione ornat, qua vti solet in rebus maxime seriis. 420 Vt certe in religionis doctrina hoc praecipuum est caput: ad Christum venire, vt in nobis perditis, salutem ab eo recuperemus. Praefatio ergo haec nobis sit instar buccinae sonantis ad publicandum gratiae Christi praeconium: quo plus fidei apud nos habeat. Sit nobis

[p.11]

quasi sigillum ad impriniendam cordibus nostris de remissione peccatorum fiduciam, quae difficulter alioqui in animos hominum penetrat. Quae etiam causa fuit Paulo, cur
 430 attentionem excitaret his verbis: Fidelis sermo. Nam vt millies in Christo salutem nobis offerat Deus Pater, et Christus ipse de officio suo concionetur: non tamen propterea desinimus trepidare, vel saltem disputare nobiscum, an ita sit. Proinde quoties nobis in mentem veniet vlla de peccatorum remissione dubitatio, hoc veluti clypeo fortiter eam repellere discamus: Veritatem esse indubiam, et dignam quae absquae controuersia
 435 recipiatur.

Peccatores.) Subest in hoc verbo emphasis. Nam qui officium Christi esse fatentur, saluare, cogitationem hanc difficilius ad

I. TIMOTH.

[p.12]

mittunt: quod eiusmodi salus ad peccatores pertineat. Semper enim abripitur sensus noster ad respectum dignitatis. Simul atque indignitas apparet, concidit fiducia. Proinde
 440 quo quisque peccatis suis magis grauatur, eo maiore animo ad Christum confugiat, hac scilicet doctrina fretus, venisse vt salutem non iustis, sed peccatoribus afferat.

Quorum primus.) Caue existimes modestiae causa Apostolum mentitum esse. Veram enim non minus quam humilem confessionem edere voluit, atque ex intimo cordis sensu depromptam. Sed quaeret hic quispiam, cur nam se inter peccatores praecipuum numerat, qui tantum sanae doctrinae ignorantia lapsus est, alioqui tota vita inculpabilis apud homines? Atqui his verbis admonemur, quam graue sit apud Deum et atrox crimen infidelitas: praesertim vbi accedit obstinatio et saeuendi rabies. Facile quidem est apud homines, totum id quod de se confessus est Paulus, extenuare colore zeli inconsiderati. Sed pluris obedientiam fidei facit Deus, quam vt pro leui delicto incredulitatem cum
 445 peruicacia coniunctam ducat. Quare diligenter notandus est hic locus, hominem coram mundo non modo innoxium, sed eximiis virtutibus praestantem vitaeque laudatissimae, quia Euangelii doctrinae fuerit aduersarius, propter incredulitatis suae contumaciam, vnum ex grauissimis peccatoribus censi. Nam inde colligere promptum est, quid valeant coram Deo omnes hypocritarum pompae, dum contumaciter Christo resistunt.

Vt primo ostenderet.) Cum dicit, primo, alludit ad id quod nuper dixerat, se primum esse inter peccatores. Significat autem, statim ab initio Deum proposuisse tale exemplar, quod tanquam ex illustri, excelsaque theatro conspici posset, ne quis diffideret paratam sibi fore veniam, modo fide accederet ad Christum. Et certe praeuenitur nostra omnium diffidentia, dum eius, quam quaerimus, gratiae typum in paulo sic videmus expressum.

Regi autem seculorum.) Prae ardore erumpit in istam exclamationem: quia deerant verba, quibus suam gratitudinem exprimeret. Nam epiphonemata praecipue locum habent, vbi abrumpere orationem cogimur, quia rei magnitudo superat. Quid autem Pauli conuersione admirabilius? Quanquam nos simul omnes admonet suo exemplo, nunquam de gratia diuinae vocationis esse cogitandum, quin tandem efferamur admiratione. Adde
 465 quod hoc tam magnificum encomium totius superioris vitae memoriam absorbet. Qualis enim abyssus est Dei gloria? Epitheta quae hic tribuit Deo, tametsi perpetua sunt, tamen proprie conueniunt loci circumstantiae. Vocat regem aeternum vel seculorum, in quem nulla cadit mutatio: inuisibilem, quia lucem habitat inaccessam, vt postea dicit.

CAPVT I.

[p.13]

470 Solum sapientem: quia infatuet ac vanitatis damnet omnem hominum sapientiam. Summa, redit ad eam clausulam, qua vtitur ad Ro. vndecimo. O profunditatem diuitiarum et c. Quam abscondita sunt Dei consilia? Quam inserutabiles viae eius? Dubium tamen est, velit ne Deo gloriam omnem soli vindicare, an vocet ipsum solum sapientem: an vero solum Deum esse dicat. Secundus sensus magis mihi probarur. Praesentis enim causae maxime interfuit, arcano Dei conuilio subiici quanuis hominum intelligentiam.

Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes super te Prophetias: vt milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam, a qua auersi quidam circa fidem naufragium fecerunt: ex quibus sunt Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Sathanae, vt discant non maledicere.

475 Hoc praeceptum.) Quidquid de persona sua interposuit, fuit quasi digressio ab instituto. Nam cum Timotheum instruere autoritate vellet, summa ipsum praeditum esse oportuit. Mature itaque opinionem refutauit, quae sibi obstare poterat. Nunc autem, postquam probauit, nihilo minoris apud pios aestimandum esse suum Apostolatam, quia aliquando Christi regnum oppugnasset. quasi sublato obstaculo, ad exhortationis suae contextum
480 redit. Ergo praeceptum est, cuius initio meminit. Filium vocando, non suam modo beneuolentiam apud eum testatur, sed aliis etiam commendat ipsum hoc nomine. Porro vt magis eum animet, reducit in memoriam, quale a spiritu Dei testimonium habuerit. Nam erat hic non paruus stimulus, quod diuinitus ministerium eius fuerat approbatum et quod prius Dei oraculis vocatus fuerat, quam electus hominum suffragiis. Turpe est
485 non respondere hominum expectationi. Quanto itaque turpius erit, irritum, quoad in te sit, facere Dei iudicium? o ed primum sciendum est, de quibus loquatur propheterii. Putant aliqui reuelatione admonitum fuisse Pauluni, vt Timocheo munus iniungeret. Quod verum esse fateor: sed addo reuelationes ab aliis proditas. Neque enim Paulus numero plurali frustra vsus est. Proinde ex eius verbis colligi mus, plures fuisse editas
490 Prophetias de Timotheo, quae ipsum Ecclesiae commendarent. Nam cum iuuenis adhuc esset, poterat contemptui esse illius aetas: expositus etiam calumniis fuisset Paulus, quod adulescen tulos ante tempus promoueret ad senile officium. Praetera Deus

I. TIMOTH.

[p.14]

illum ad res magnas et arduas destinauerat. Non enim fuit vnns ex vulgo: sed Apostolis proximus, qui Paulo absente saepe eius perso nam substinebat. Quare opus habuit
495 singulari testimonio vnde pateret, non hominum temeritate tantum illi deferri: sed electum ab ipso Deo esse. Neque enim tunc ordinarium fuit, aut multis commune, ornari Prophetarum encomiis. Sed quia in Timotheo peculiare erant causae, noluit eum Deus ab hominibus admitti, nisi sua voce iam probatum: noluit eum ad obeundam functionem accedere, nisi Prophetis oraculis accitum. Sicuti etiam Paulo et Barnabae
500 contigit, dum Gentibus ordinati sunt doctores. Erat enim res noua et insolens: nec alioqui potuissent famam temeritatis effugere. Obiiciet nunc quispiam: si Deus per suos Propietas ante pronuncia uerat, qualis futurus esset minister Timotheus: quorsum attinebat eum moneri, vt se talem praestaret? An potuit Dei oraculis fidem abrogare?

505 Respondeo, non aliter potuisse euenire, quam Deus promi serat. Sed interim non debuit
 Timotheus desidia se ac torpori dare, sed viuum agileque organum Dei prouidentiae,
 obsequendo, se exhibere. Quare Paulus non abs re dum calcar illi addere vult, Prophetias
 commemorat, quibus se pro illo Deus quasi sponsorem Ecclesiae constituerat. Nam
 inde admonebatur, ad quid vocatus foret. Ideóque addit: milites in illis. quo significat,
 510 Timotheum, tali Dei approbatione fretum, animosius debere pugnare. Quid enim plus
 alacritatis addere nobis vel debet, vel potest, quam cum scimus nos diuinitus ordinatos ad
 agendum quod agimus? Haec arma sunt nostras haec praesidia, quibus muniti nunquam
 deficimus. Militiae nomine, subindicat certandum esse. Atque in vniuersum piis id
 conuenit: proprie tamen Christianis doctoribus, qui sunt velut antesignani aut duces.
 Perinde ergo est, acsi diceret: Tu si non potes absque certamine munus tuum exequi,
 515 memineris te Dei oraculis ad victoriae spem certissimam esse instructum. Atque hac
 recordatione te excites. Bona enim est militia, hoc est gloriosa et salutaris, quam sub
 Dei auspiciis militamus.

Habens fidem et bonam conscientiam. Fidei nomen generaliter accipio, pro sana
 doctrina. Qua significatione et capite tertio mysterium fidei ponit. Et certe duo haec
 520 praecipue in doctore requiruntur, vt puram Euangelii veritatem retineat deinde eam
 administret bona conscientia, et sincero zelo. Vbi vtrunque istorum aderit, sponte
 etiam reliqua sequentur. A qua auersi quidant.) Ostendit quam necessarium sit, bonam
 conscientiam cum fide coniungi: quia econuerso malae conscientiae poena sit a recta
 fide defectio. Qui non pura animi integritate seruiunt Domino, sed prauis affectibus
 525 indulgent, etiam si prius sanam intelligentiam habuerint, ab ea prorsus excidunt. Locus
 dili

CAPVT I.

[p.15]

genter obseruandus. Seimus incomparabilem esse sanae doctrinae thesaurum. Quare
 nihil magis timendum, quam vt nobis auferatur. Atqui vnicam eius custodiendi rationem
 Paulus hic praescribit, si ob seratus fuerit bona conscientia. Idque quotidie experimur.
 530 Vnde enim fit, vt abiecto Euangelio tam multi ad impias sectas prouant, vel errorum
 portentis implicentur? Nempe quia hoc excaecationis gene re hypocrisin vleiscitur Deus.
 Quemadmodum sincerus Dei timor ad perseuerantiam confirmat. Duo hinc discenda
 sunt. Primùm admonentur Doctores et Euangelii ministri, atque in eorum persona totae
 Ecclesiae, quantopere fucata et fallacem verae doctrinae professionem horrere debeant,
 535 quam adeo seure puniri audiunt. Deinde tollitur scandalum, quod plerosque non leuiter
 turbat, dum aliquos vident, qui prius Christo et Euangelio nomen dederant, non modò
 relabi ad pristinas superstitiones, sed quod longe deterius est, prodigiosis erroribus
 fascinatos teneri. Nam talibus exemplis Euangelii maiestas palam vindicatur: ac palam
 ostendit Deus se eius profanationem nullo modo ferre posse. Atque id omnium seculorum
 540 experien tia docuit. Quidquid errorum ab exordio Christianae Ecclesiae extitit, ab hoc
 fonte manauit: quia in aliis ambitio, in aliis auaritia sincerum Dei timorem obruebat.
 Mala igitur conscientia omnium haereseon mater. Et hodie permultos videmus, quia
 rectam fidem non sincere amplexi fuerant, pecudum instar ad Epicureorum deliria rapi,
 vt ipsorum hypocrisin detegatur. Quinetiam cum passim grassetur Dei contemptus, et
 545 flagitiosi perditique omnium fere ordinum mores demonstrant, nihil aut quam minimum

esse integritatis in mundo: valde timendum est, ne breui lux, quae accensa fuerat, extinguatur: et paucissimis Deus puram Euangelii intelligentiam relinquat. Metaphora a naufragio sumpta aptissime quadrat. Nam innuit, vt salua fides ad portum vsque perueniat, nauigationis nostrae eursus bona conscientia regendum esse. Alids naufragii
550 esse periculum: hoc est, ne fides mala conscientia, tanquam gurgite aliquo mergatur.

Hymenaeus et Alexander.) Priorem iterum nominabit in secunda Epistola vbi etiam naufragii, quod fecerat, species notatur. Dicebat enim resurrectionem esse factam. Credibile est, Alexandrum quoque tam absurdo errore fuisse dementatum. Et hodie miramur, si quosdam variis praestigiis deludat Sathan, cum vnum ex Pauli comitibus
555 tam horrendo praecipitio periisse cernamus? Caeterum ambos illi nominat tanquam homines notos. Ego quidem non dubito, quin hic ille sit Alexander, cuius mentionem facit Lucas Actorum 19. qui tumultum ficta et profana sua oratione composuit. Erat autem Ephesius. Et hanc Epistolam diximus maxime scriptam fuisse Ephesiorum causa. Nunc audimus qualem habuerit exitum.

I. TIMOTH.

[p.16]

560 Audientes colamus bona conscientia fidei nostrae possessionem, vt salua nobis ad extremum maneat.

Quos tradidi Sathanae.) Quemadmodum diximus in quintum caput prioris Epistolae ad Corinthios, sunt qui interpretantur extraordinariis flagellis fuisse coercitos: idque referunt ad *δυναμίς*, cuius meminit Paulus eiusdem Epistolae capite decimo. Nam vt dono
565 sanationis praediti erant Apostoli ad testandam erga pios Dei gratiam et beneficentiam, ita aduersus impios et rebelles armati erant potentia: vel vt vexandos Diabolo traderent: vel vt aliis flagellis in eos animaduertent. Cuius potentiae specimen edidit Petrus in Anania et Sapphira Paulus vero in Bar-Iesu mago. At mihi de excommunicatione exponere magis placet. Nam vt credamus aliter, quam excommunicatione castigatum
570 fuisse Corinthium illum incestum, nulla probabilis coniectura affertur. Si autem illum excommunicando Sathanae tradidit Paulus: cur non eadem locutio idem hic valebit? Adde quod vim excommunicationis optime explieat. Nam cum in Ecclesia sedem regni sui habeat Christus, extra non est nisi Sathanae dominium. Proinde qui ab Ecclesia exterminatur, eum tantis per sub tyrannide Sathanae degere necesse est, dum Ecclesiae reconciliatus, ad Christum redeat. Vnum excipio, quod, pro mali atrocitate. perpetuum
575 istis anathema denunciare potuit. De quo nihil tamen ausim pro certo asserere. Sed quid sibi vult proxima particula: Vt discant non maledicere? Nam qui ab Ecclesia eiectus est, plus licentiae sibi vsurpat: quia tanquam communis disciplinae iugo solutus, petulantius insurgit. Respondeo, vtcunque exultet eoruni improbitas, aditum tamen praecludi, ne
580 sua contagione gregem inficiant. Nam eo maxime nocent improbi, dum eiusdem fidei praetextu se insinuant. Nocendi ergo facultas illis eripitur, dum notantur publica infamia. vt nemo simplicium ignoret, profanos esse homines et execrandos : ideoque omnes ab eorum communicatione abhorreant. Ipsos etiam interdum contingit irrogata sibi talis ignominiae nota confusos. a proteruia desistere. Ergo etiam si improbiores reddantur
585 aliquando: tamen non semper inutile est ad domandam ferociam temedium.

CAPVT II.

ADhortor igitur, vt ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus in eminentia constitutis, vt placidam et quietam vitam degamus cum omni pietate et honestate.

CAP. II.

[p.17]

Hoc enim bonum et acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

Adhortor igitur.) Haec pietatis exercitia exercent nos in sincero cultu Dei ac timore fouentque bonam conscientiam de qua dixerat. Quare non abs re, illatiua particula vtitur: quia ex superiore praecepto exhortationes istae pendent. Ac initio quidem de publicis orationibus disserit: quas iubet non pro fidelibus modo concipi, sed pro vniuerso genere humano. Poterant enim nonnulli ita secum reputare: Cur de infidelium salute essemus solliciti, quibuscum nihil est nobis necessitudinis? Nónne satis est, sifratres pro fratribus mutuo oremus, ac commendemus Deo totam suam Ecclesiam? Nihil enim ad nos extranei. Huic sinistrae opinioni occurrit Paulus, ac iubet Ephesios suis precibus complecti omnes mortales, nec eas ad corpus Ecclesiae restringere. Porrd quid inter se differant quatuor species quas enumerat, fateor me non penitus tenere. Puerile quidem est, quod Pauli verba Augustinus ad ritus suo tempore vsitatos detorquet. Sim plicior est eorum expositio, qui deprecationes esse putant, quibus petimus liberari a malis: obsecrationes, quibus vtilia nobis poscimus: interpellationes, quibus apud Deum iniurias nobis illatas deploramus. Quanquam ego non ita subtiliter distingo, vel saltem aliam distinctionem magis probo. *ροσωυχας sane Graeci vocant omne genus orationis: δεή σας autem eas precationum formas, ybi certum aliquid petitur. Hoc modo, inter se conuenirent haec duo nomina, tanquam genus et species. τν ρύφας vocare solet Paulus quas alii pro aliis suscipimus preces. Pro quo Latina transsatio habet intercessiones. Quanquam Plato in Alcibiade secundo aliter accipit, nenpe, pro seipso certam precationem concipere. In ipsa autem libri inscriptione et compluribus locis satis quod dixi ostendit, προσευχήν nomen esse generale. Sed ne plus aequo laboremus in re non necessaria: Paulus, meo iudicio, simpliciter iubet, quoties publicae orationes habentur, supplicare et deprecari pro omnibus: etiam qui in presentia nihil nobiscum habent coniunctionis. In gratiarum actione nihil est obscurum. Nam quemadmodum vult infidelium salutem commendari Deo, ita et propter laetos eorum ac prospere ros successus gratias agi. Ista enim admirabilis Dei bonitas, quam quoridie ostendit, cum Solem suum oriri facit super bonos et malos, digna est quam laude prosequamur. Et charitas nostra vsque ad indignos extendere se debet.

I. TIMOTH.

[p.18]

Pro Regibus.) Nominatim de Regibus meminit et magistratibus reliquis, quia prae aliis exosi esse poterant apud Christianos. Quotquot enim erant illo tempore magistratus, totidem erant quasi iurati Christi hostes. Poterat igitur obrepere ista cogitatio, non esse pro illis orandum, qui totas vires opesque suas conferrent ad oppugnanduni Christi

Regnum, cuius propagatio imprimis optanda est. Occurrit autem Apostolus, ac diserte, iubet pro illis etiam precari. Et certe, non efficit hominum prauitas quominus amanda sit
 35 Dei institutio. Proinde cum magistratus ac principes Deus ad conseruationem humani generis creauerit: vtcunque multi degenerent a diuina ordinatione: non tamen cessare proprerea debemus, quin et amemus quod Dei est, et saluum cupiamus. Haec causa est, cur debeant fideles, in quacunque regione degant, non modo legibus et magistratuum imperio parère: sed in suis etiam precibus eorum salutem commenda re Deo. Dicebat
 40 Israelitis Ieremias: Orate pro pace Babylonis: quoniam in pace eius pax vestra. Haec vniuersalis est doctrina, vt ordinatas a Deo potestates cupiamus saluas et pacatas stare. Vt tranquillam.) Proposita vtilitate, stimulum nobis addit. Fructus enim enumerat, qui ex principatu rite composito nobis proueniunt. Primus est, tranquilla vita. Gladio enim sunt armati magistratus, vt nos in pace contineant. Nisi compescerent improborum
 45 audaciam, latrocinii et caedibus omnia essent plena. Haec igitur pacis tuendae ratio, cum vnicuique redditur quod suum est, nec impune grassatur potentiorum violentia. Secundus est, pietatis conseruatio: dum scilicet incumbunt magistratus, ad fouendam religionem, ad asserendum Dei cultum, ad sacrorum reuerentiam exigendam. Tertius est, cura publicae honestatis. Nam hoc etiam fit magistratuum beneficio, ne ad beluinas
 50 foeditates se homines prostituant, aut indecore lasciuiant, sed porius vigeat modestia et moderatio. Haec tria si tollantur qualis erit humanae vitae status? Si qua ergo vel publicae tranquillitatis, vel pietatis, vel honestatis cura nos tangit: meminimus eorum quoque habendam esse curam, quorum ministerio tam praeclara bona ad nos perueniunt. Vnde colligimus, omnis humanitatis expertes esse fanaticos homines, nec aliud quam
 55 feram barbariem spirare, qui magistratus e medio sublatos cupiunt. Quantùm enim haec discrepant: vt vigeat ius et honestum, vt floreat religio, orandum esse pro Regibus: et non modo regni nomen, sed totam politiam religioni esse aduersam? Atqui prioris sententiae authorem habemus Spiritum Dei. Secundam ergo a Diabolo esse oportet, Si roget quispiam, an etiam pro Regibus orandum sit, a quibus nihil tale percipimus?
 60 Respondeo, huc tendere vota nostra, vt Spiritu Dei gubernati, bonorum, quibus antea nos priuabant, mini

CAP. II.

[p.19]

stri nobis esse incipiant. Non ergo pro iis tantùm, qui iam digni sunt, orare nos decet: sed rogandus Deus, vt ex malis bonos faciat. Tenendum enim semper istud principium: tam ad religionis, quam ad tranquillitatis et honestatis publicae custodiam destinatos esse
 65 a Deo magistratus: non aliter quam terra procreandis alimentis ordinata est. Quemadmodum itaque pro pane quotidiano orantes, Deum rogamus, vt terram sua benedictione foecundet: fic in illis prioribus beneficiis ordinarium medium, quod sua prouidentia constituit, respicere debemus. Huc accedit, quod si beneficiis istis, quorum dispensationem magistratibus Paulus assignat, destituimur: id contingit nostra culpa. Inutiles
 70 enim magistratus nobis reddit ira Dei, non secus, ac terram sterilem. Quare nostrùm est, eiusmodi flagella deprecari, quae peccatis nostris irrogantur. Praeterea hic officii sui vicissim admonentur principes, et quicumque magistratum gerunt. Neque enim satis est, si ius cuique suum reddendo, iniurias omnes coerceant pacemque foueant: nisi et religionem promouere, et honesta disciplina mores componere studeant. Neque enim

75 frustra hortatur Daud, vt Filium osculentur nec frustra Iesaias denunciatur, fore Ecclesiae
nutricos. Quare non est quod sibi blandiantur, si ad cultum Dei asserendum adiutores
se praebere neglexerint.

Hoc enim bonum est.) Postquam vtile esse docuit quod praecipiebat, iam validius
argumentum proponit: Deo ita placere. Nam vbi constat de eius voluntate, instar omnium
80 rationum esse nobis debet. Bonum accipit, pro recto et legitimo. Quia autem Dei
voluntas regula est, ad quam exigenda sunt officia nostra omnia: rectum inde esse
probat quia Deo acceptum est. Sequitur deinde huius etiam secundi membri confirmatio
quia velit Deus omnes homines saluos facere. Quid autem magis aequum, quam vt
huic Dei decreto vota nostra subseruiant? Postremd autem, Deo cordi esse omnium
85 salutem demonstrat, quia omnes ad veritatis suae agnitionem vocet. Argumentum est
a posteriori. Nam si Dei potentia est Euangelium in salutem omni credenti: certum
est inuitari omnes ad spem vitae aeternae, quibus Euangelium offertur. Denique sicut
vocatio documentum est arcae electionis: ita quos facit Deus Euangelii sui participes,
eos ad salutis possessionem admittit. Quia Euangelium iustitiam Dei nobis reuelat:
90 quae certus est in vitam ingressus. Hinc apparet, quam pueriliter hallucinantur, qui
locum hunc praedestinationi opponunt. Si Deus, inquit, omnes indifferenter vult
saluos fieri: falsum est, alios ad salutem, alios ad exitium aeterno eius consilio esse
praedestinos. Aliquid forte dicerent, Si Paulus hic de singulis hominibus ageret.
Quoniam tunc quoque non deesset solutio. Nam etsi Dei voluntas non ex occultis
95 ipsius iudiciis aestimanda est, vbi exter

I. TIMOTH.

[p.80]

nis signis eam nobis patefacit: non tamen propterea sequitur, quin constitutum intus
habeat, quid de singulis hominibus fieri velit. Caeterum id, quia nihil ad praesentem
locum facit, praetereo. Nam Apostolus simpliciter intelligit, nullum mundi ordinem
a salute excludi: quia omnibus sine exceptione Euangelium proponi Deus velit. Est
100 autem Euangelii praedicatio viuifica. Merito itaque colligit, Deum omnes pariter salutis
participatione dignari. At de hominum generibus, non singulis personis sermo est.
Nihil enim aliud intendit, quam principes in hoc numero includere. Quod autem his
quoque Euangelii doctrinam communem esse velit Deus, constat ex testimoniis iam
citatis, et similibus. Neque enim de nihilo dictum est: Nunc Reges intelligite. In
105 summa, indicare Paulus voluit, non esse considerandum, quales tunc essent principes:
sed quales esse Deus vellet. Est autem officium charitatis, quoscunque vocatione sua
complectitur Deus, eorum salutis curam studiumque suscipere: idque piis votis testari.
Atque huc pertinet, quod Deum vocat nostrum saluatorem. Vnde enim nobis salus, nisi
ex gratuita Dei beneficentia? Atqui Deus idem qui iam nos salutis fecit compotes, ad eos
110 quoque gratiam suam extendere aliquando poterit. Qui iam nos ad se traxit, poterit illos
nobiscum adducere. Fadurumi autem pro confesso sumit: quia Prophetarum vaticiniis
ita praedictum erat, de vniuersis tam ordinibus, quam nationibus.

Vnus enim Deus, vnus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, vt esset testimonium temporibus suis, in quod positus sum praeco et Apostolus. Veritatem dico in Christo, non mentior, Doctor Gentium in fide et veritate.

Vnus Deus.) Parum valida in speciem foret haec ratio: Deum ideo velle omnes saluos esse, quia vnus est. Chrysostomus, et post eum alii sic accipiunt: non esse plures Deos, sicuti idololatrae com miniscuntur. Sed aliud fuisse Pauli consilium arbitror: vt hic sit tacita comparatio vnus Dei cum toto mundo diuersisque nationibus. Quemadmodum et tertio capite ad Romanos: Nunquid Iudaeorum Deus tantum? An non et Gentium? Imo vnus Deus, qui iustificat Circuncisionem ex fide, et praeputium per fidem. Ergo vtcunq; in hominibus tunc esses diuersitas, quia multi ordines alieni erant a fide, multae gentes: ad vnitatem Dei fideles reuocat Paulus: vt

CAP. II.

[p.21]

sciant cum omnibus sibi esse coniunctionem, quia vnus sit omnium Deus: vt sciant non in perpetuum a spe salutis exclusos, qui sub eius dem Dei sunt potestate. Idem sibi vult quod de vno mediatore continuo subiicit. Nam sicuti vnus est Deus omnium creator et pater: ita vnicum mediatorem esse dicit, per quem accessus nobis ad Deum patet. Atque hunc mediatorem non vni tantum genti vel paucis hominibus certae conditionis esse datum, sed omnibus. Nam sacrificii, quo peccata expiauit, fructum ad omnes pertinere. Particula vniuersalis semper ad hominum genera referri debet non ad personas. Acridixisset: Non solos Iudaeos, sed Gentiles quoque: non solos plebeios, sed etiam principes redemptos esse morte Christi. Cum itaque commune mortis suae beneficium omnibus esse velit: iniuriam illi faciunt, qui opinione sua quempiam arcent a spe salutis.

Homo Iesus.) Hominem dum praedicat, non negat esse Deum: sed cum vinculum notare vellet nostrae cum Deo coniunctionis, humanae potius naturae meminit, quam diuinae. Quod sedulo obseruandum est. Hinc enim factum est ab initio, vt homines sibi hos vel illos fingendo mediatores, longius a Deo recesserint, quia hoc errore praeoccupati, Deum procul abesse, quo se verterent nesciebant. Huic malo Paulus medetur, cum nobis Deum quasi praesentem sistit: quia ad nos vsque descendit, ne supra nubes quaerendus esset. Idem ergo hic dicitur, quod quarto ad Hebraeos capite: Non habemus Pontificeni, qui compati infirmitatibus nostris nequeat: cum tentatus fuerit per omnia. Et sane si id omnium animis insideret: porrigi nobis fraternam manum a filio Dei, et naturae societate nobis coniunctum, vt nos ex hac nostra tam abiecta conditione in coelum vsque attollat, quis non recta hanc viam tenere mallet, quam in deuiis salebris vagari? Proinde quoties orandus est Deus, si in mentem venit sublimis illa et inaccessa maiestas: ne eius formidine absterreamur, simul occurrat etiam homo Christus qui comiter nos inuitat, nosque veluti manu prehensat, qui Patrem ex formidabili ac tremendo propitium et facilem nobis reddat. Haec sola clauis est, qua nobis ianua coelestis Regni reseratur, vt appareamus cum fiducia in Dei conspectum. Proinde etiam videmus Sathanam omnibus seculis hunc lapidem voluisse, vt inde homines auerteret. Omitto quam variis artibus, ante Christi aduentum, distraxerit hominum mentes, ad media comminiscenda, quibus ad Deum peruenirent. Iam ab Ecclesiae Christianae exordio, cum nuper apparuisset Christus cum tam praeclaro pignore: et adhuc in terris ex eius ore suauiissima illa vox

propemodum resonaret: Venite ad me omnes, et c. erant tamen quidam fallendi artifices, qui Angelos pro mediatoribus obruderent ipsius loco: quemadmodum ex Epistola ad Colossenses colligere promptum est.

I. TIMOTH.

[p.22]

155 Sed quod tunc clanculum moliebatur Sathan, sub Papatu eđ vsque perduxit, vt vix
millesimus quisque mediatorem Christum, vel titulo tenus agnosceret. Atque ita sepultum
erat nomen, vt res magis esset ignota. Nunc postquam sanos, piosque Doctores excitauit
Deus, qui tanquam postliminio reuocare in hominum memoriam studuerunt, quod vnum
ex notissimis fidei nostrae principiis esse debuerat: omnia excogitant Romanenses
sophistae, quibus rem clarissimam obscurant. Primùm ita illis nomen est inuisum, vt
160 si quispiam Christi mediatoris faciat mentionem praeteritis sanctis, mox suspitione
grauerur haereseos. Quia autem repudiare in totum non audent quod hic a Paulo docetur,
insulso comniento eludunt: vnum vocari, non solum. Quasi vnum ex magna turba
Deum nominauerit. Coharent enim haec duo membra: Vnum esse Deum, et vnum
mediatorem. Quare qui Christum vnum aliquem ex multis faciunt, idem ad Deum quoque
165 trahant oportet. An eo prorumperent impudentiae, nisi caecus furor ad opprimendam
Christi gloriam eos raptaret? Alii sibi videntur acutiores, dum Christum vnicum statuunt
mediatorem redemptionis, sanctos autem intercessionis mediatores nominant. Atqui
horum quoque insulsiatatem coarguit loci circumstantia quandoquidem hic de precibus
ex profe sso tractatur. Pro omnibus, inquam, orare Spiritus praecipit, quia vnicus
170 noster mediator omnes ad se admittat: sicuti morte sua omnes reconciliauit Patri. Et
adhuc Christiani censori volunt, qui tam sacrilega audacia Christum spoliant suo honore.
Obiicitur tamen quod speciem repugnantiae habeat. Nam hoc ipso loco Paulus iubet
nos pro aliis intercedere: quod octauo ad Romanos, Christo quasi proprium assignat.
Respondeo, sanctorum intercessores, quibus se mutuo iuuant apud Deum, minime
175 obstare, quominus tamen vnicum omnes intercessorem habeant. Nemo enim vel pro
se, vel pro alio, nisi Christi parrocinio fretus exauditur. Quod itaque alii pro aliis
intercedimus, adeo non tollit vnicam Christi intercessionem, vt inde maxime pendeat,
côque referatur. Putabit quispiam, nos igitur posse facile conciliari cum Papistis, si vnicae
Christi intercessionis subiiciant, quascunque ipsi sanctis tribuunt. Non ita est. Nam ideo
180 tranfferunt intercedendi officium ad sanctos, quoniam alias destitui nos aduocato fingunt.
Hoc est vulgare inter ipsos principium: nos patronis opus habere, quia indigni sumus,
qui per nos appareamus in Dei conspectum. Ita loquendo, Christum honore suo priuant.
Deinde execranda est blasphemia, affingere sanctis dignitatem, quae nobis apud Deum
gratiam conciliet. A quo tani longe absunt, tam Prophetarum omnes quam Apostolorum et
185 Martyrum, vsque ad ipsos Angelos, vt patrono ipsi quoque eodem nobiscum opus habeant.
Deinde merum est figmentum.

CAP. II.

[p.23]

natum in eorum cerebris, mortuos pro nobis intercedere. Ergo in eo fundare preces nostras, est fidem penitus a Dei inuocatione auellere. Atqui Paulus regulam Dei rite inuocandi praescribit, fidem ex verbo Dei conceptam Ro. 1o. Meritid itaque repudiamus,

190 quod curiosi homines extra Dei verbum imaginantur. Sed ne prolixior sim, quam
 loci expositio flagitat: summa sit, Christo vno fore contentos, qui vere didicerint eius
 officium: mediatores sibi propria libidine fabricare eorum esse, qui nec Deum nec
 Christum nouerunt. Vnde consti ruo, Papistarum doctrinam, quae et Christi patrocini-
 195 tum obscurat, imo fere sepelit, et fictitios inducit Patronos absque vsso scripturae testimonio,
 tum impiae diffidentiae, tum etiam impiae temetitatis plenam esse.

Qui dedit semetipsum.) Non est superuacua hoc loco redemptionis commemoratio.
 Sunt enim res necessario coniunctae, sacrificium mortis Christi, et perpetua intercessio:
 suntque duae sacerdotii partes. Nam hac significatione sacerdos noster Christus vocatur,
 quod semel peccata nostra morte sua expiauit, vt Deum nobis propitium redderet, et nunc
 200 sanctuarium coeli ingressus, ad impetrandam nobis gratiam coram Patre apparet, vt eius
 nomine exaudiamur. Quo melius detegitur sacrilega Papistarum impietas, qui dum in
 hoc officio sanctos Christo socios adiungunt, simul ad eos transferunt sacerdotii gloriam.
 Lege quartum caput ad Hebraeos circa finem et initium quinti. Reperies quod dico, inter-
 cessionem, qua propitiatur nobis Deus in sacrificio fundatam esse. Quinetiam tota veteris
 205 sacerdotii ratio hoc demonstrat. Sequitur ergo nihil ex officio intercedendi a Christo
 transcribi posse ad alios, quin sacerdotii titulo nudetur. Praeterea cum ἀντιλυτρον
 appellat, alias omnes satisfactiones eueritit. Quanquam non me latet Papistarum argutia:
 fingunt enini redemptionis precium, quod morte sua persoluit Christus, in Baptismo
 nobis applicari, vt deleatur originale peccatum: postea satisfactionibus nos reconciliari
 210 Deo. Hoc modo, quod erat vniuersale et perpetuum beneficium, ad exiguum tempus et
 speciem vnam restringunt. Sed plenam huius rei tractationem ex Institutione pete.

Vt esset testimonium.) Hoc est, vt haec gratia patefieret tempore constituto. Dixerat,
 pro omnibus. Quae parvicula quaestionem mouere poterat: cur ergo peculiarem vnum
 populum elegisset Deus, si omnibus communiter se propitium Patrem exhiberet, ac vna
 215 omnibus communis esset redemptio in Christo. Huic quaestioni ansam praecidit, cum
 reuelandae gratiae opportunitatem refert ad Dei consilium. Nam si hyeme non miramur
 emarcidas arbores, agros niue coopertos, prata gelu rigentia: vere auctem reuiescere.

I. TIMOTH.

quae ad tempus quodammodo emortua fuerant, quia ordinatae sunt a Deo temporum
 vices: cur non ipsius prouidentiae in aliis idem iuris concedemus? An propterea Deum in-
 220 constantiae arguamus, quia quod semper apud se decretum fixum est habuit, suo tempore
 profert in me dium? Quare et si hoc repentinum mundo accidit et minime expectatum,
 quod Christus Iudaeis ac Gentibus promiscue redemptor apparuit: ne tamen putemus
 subitum hoc fuisse Deo: sed potius admirabili eius prouidentiae discamus subiicere
 sensus omnes nostros. Ita fiet, vt nihil quod ab ipso prodierit nobis non sit maxime
 225 tempestiuum. Ideo frequenter apud Paulum occurrit haec admonitio: praesertim eum de
 Gentium vocatione agitur, quae sua nouitate multos tunc percellerat, et quasi reddebat
 attonitos. Quibus hac solutione non satisfit, Deum occulta sua sapientia distribuisse tem-
 porum vices: hi aliquando experientur, quo tempore ociosum fuisse putant, fabricasse
 inferos curiosis.

230 In quod positus sum.) Ne temere, vt multi solent, de re sibi parum comperta asserere
 videatur: se ad hoc praedicat diuinitus ordinatum, vt Gentes prius a regno Dei alienas ad

[p.24]

Euangelii participationem adducat. Nam Apostolatus eius ad Gentes, certum erat diuinae vocationis fundamentum. Et ideo tantopere in ipso asserendo laborat: vt certe apud multos non absque difficultate recipiebatur. Ius iurandum vel obtestationem adhibet, vt in re maxime seria, doctorem se esse Gentium: idque in fide et veritate. Quae duo bonam conscientiam significant. Sed eam quoque fultam esse oportet certitudine diuinae voluntatis. Proinde non tantùm sincero affectu se Gentibus Euangelium praedicare intelligit: sed etiam sana et intrepida conscientia: eo quod nihil agat nisi Dei mandato.

Volo igitur orare viros in omni loco, sustollentes puras manus, absque ira, et disceptatione. Consimiliter et mulieres in amictu modesto cum verecundia et temperantia ornare semetipsas, non tortis crinibus, aut auro, aut Margaritis, aut vestitu sumptuoso: sed quod decet mulieres profitentes pietatem per bona opera.

Volo igitur.) Pendet haec illatio ex proxima sententia. Nam, vt in Epistola ad Galatas vidimus, Spiritu adoptionis praeditos esse nos oportet, vt Deum rite inuocemus. Postquam ergo Christi gratiam omnibus exposuit, ideòque se Gentibus datum esse

CAP. II.

[p.25]

Apostolum meminit, vt eodem redemptionis beneficio promiscue cum Iudaeis fruerentur: omnes pariter ad orandum inuitat. Fides enim inuocationem parit. Vnde et ad Romanos 15. Gentium vocationem probat istis testimoniis: Exultent Gentes cum populo eius. Item: Omnes Gentes laudate Dominum. Item Confitebor tibi inter Gentes. Valet enim reciprocum argumentum a fide ad inuocationem, et ab inuocatione ad fidem: tanquam a causa ad effectum, et ab effectu ad causam. Quod obseruatione dignum est: quia inde admonemur, Deum se nobis patefacere verbo suo, vt a nobis in uocetur: et hoc praecipuum esse exercitium fidei. Quare particula, in omni loco, peraeque hic valet, atque initio prioris ad Corinthios: vt nullum sit iam discrimen inter Gentilem et Iudaeum, inter Graecum et Barbarum: quia Deus communis est omnium Pater.

sustollentes puras manus.) Acsi diceret: modo adsit bona conscientia, nihil ob stare, quominus vbique inuocent Deum omnes Gentes. Sed rei loco signum posuit. Nam purae manus sunt puri cordis indices. Quemadmodum econuerso Iesaias exprobrat Iudaeis, quod manus ad Deum sanguinolentas extollant, dum inuehitur in eorum crudelitatem. Porrò ceremonia haec vsitata fuit omnibus seculis: quia natura hic nobis ingenitus est sensus, cum Deum quaerimus, sursum aspicere. Adeòque semper valuit, vt ipsi quoque idololatrae, cum alioqui Deum affigerent ligneis et lapideis simulacris, morem tamen in coelum tollendi manus retinerent. Discamus ergo, ceremoniam esse verae pietati congruentem, modo respondeat, quae per eam figuratur veritas. Nempe, vt admoniti Dumin caelo quaerendum esse, primùm de ipso terrenum vel carnale nihil imaginemur deinde exuamus affectus carnales, ne quid impediatur, quominus animi nostri supra mundum assurgant. Idololatrae vero et hypocritae, manus inter oranduni attollendo, simiae sunt: quia dum externo symbolo profitentur, se mentes sursum habere erectas, priores in ligno et lapide haerent, quasi illic inclusus esset Deus: secundi aut inanibus curis, aut prauis cogitationibus impliciti in terra iacent. Proinde contrario gestu testimonium aduersum se ferunt.

Absque ira.) Nonnulli fremitum indignationis exponunt, dum secum tumultuatur conscientia, et quasi cum Deo expostulat. Quod acidere solet, cum res aduersae grauius
 270 nos premunt. Tunc enim aegreferimus, non statim Deum nobis succurrere, et impatientia turbamur. Concutitur etiam fides variis insultibus. Nam quia non apparet eius auxilium, obrepunt nobis dubitationes, an curam nostri habeat, an saluos velit nec ne: et similes. Talem consternationem haesitantis animi disceptationis voce notari putant. Ita secundum eos sensus esset: pacata conscientia et intrepida fiducia

I. TIMOTH.

[p.26]

275 orandum esse. Alii, vt Chrysostomus, requiri putant, non tam ergo Deum quam homines placidos animos et omni perturbatione vacuos. Quia nihil est quod puram Dei inuocationem magis impediatur, quam rixae et contentiones. Vnde etiam iubet Christus si quis dissideat cum fratre, prius reconciliari, quam munus ad altare offerat. Horum vtrunque verissimum esse fateor. Sed dum praesentis loci cireunstatiam expendo, non dubito
 280 quin respexerit Paulus ad disceptationes, quae inde oriebantur, quod Iudaei Gentes sibi aequari indignabantur, et ideo controuersiam mouebant de earum uocatione, imo eas repudiabant, arcebantque a gratiae confortio. Vult ergo Paulus, sedatis eiusmodi contentionibus, omnes vbiuis gentium ac terrarum Dei filios vnanimes orare. Quanquam nihil prohibet, quin ex particulari sententia eliciamus generalem doctrinam.

285 Consimiliter et mulieres.) Quemadmodum viros iussit tollere puras manus, ita nunc praescribit, qualiter mulieres ad rite orandum compararas esse deceat. Ac videtur inter virtutes quas commendat, et externani Iudaeorum sanctificationem tacita subesse antithesis. Nam innuit, nullum esse profanum locum, et unde non ad Deum accessus pateat, modo suis vitiis non arceantur, tam viri quam mulieres. Porrd sumpta occasione,
 290 vitium, quo fere laborare solent mulieres, corrigere voluit. Fieri quoque potest, vt Ephesi, in vrbe opulenta et celebri emporio, magis grassantum sit. Est autem nimia ornatus cura etcupiditas. Vult autem vt ad pudorem ettemperantiam compositus sit earum ornatus. Nam inde luxuria et immodicus sumptus, vel quod superbiae, vel quod lasciuiae causa, ostentare se appetunt. Atque inde petenda est regula mediocritatis. Nam
 295 quia res est indifferens, vestitus vt sunt res omnes externae. difficile est praescribere certum modum, quousque liceat. Magistratus quidem leges sumptuarias ferre poterit, quibus libidinem vtcunque coerceat. Sed pii doctores, quorum est regere conscientias, semper debent vsus legitimi finem respicere. Ita hoc saltem erit extra controuersiam quidquid non est cum pudore et temperantia consentaneum in vestitu, esse improbandum.
 300 Quanquam ab affectu semper est incipiendum. Nam vbi intus regnat proteruia, illic nullus pudor. Vbi regnat intus ambitio, illic nulla modestia in externo vestitu extabit. Sed quia hypocritae vitiosos suos affectus quibuscunque possunt coloribus fucare folent, necessario protrahendi sunt ad id quod apparet. Magnae improbitatis erit negare, honestis et castis mulieribus pudorem conuenire, tanquam proprium et perpetuum ornamentum.
 305 Similiter, moderationem ab omnibus seruandam esse. Quid quid ergo erit his contrarium, frustra excusabunt. Certas deinde species excessus nominatim reprehendit: vt sunt capilli complexi,

CAP. II.

[p.27]

Margaritae, et aurea monilia: non quod vetitus sit in totum auri vel Margaritarum vsus, sed quod haec vbicumque refulgent secum, fere trahunt alia mala quae dixi, et ex ambitionis fonte nascuntur aut impudiciae.

Quod decet mulieres.) Nam certe cultum honestae et piaie mulieris a meretricio differre oportet. Illae autem sunt discretionis notae, quas posuit. Et si operibus testanda est pietas, in vestitu etiam castoapparere haec professio debet.

Mulier in quiete discat, cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque imperiosam esse in virum, sed quietam esse. Adam enim creatus fuit prior, deinde Eua. Et Adam non fuit deceptus, sed mulier decepta, transgressionis rea fuit. Seruabitur autem per generationem, si manserint in fide, et charitate, et sanctificatione, cum temperantia.

Postquam de vestitu locutus est, nunc addit, qua se modestia gerere in sacro coetu debeant mulieres. Ac primum iubet eas placide discere. Nam quies silentium significat, ne loquendi vices sibi vsurpent in publico. Quod statim clarius exponit, dum eas vetat docere. Non vt illis auferat munus instituendae familiae: sed tantum vt a munere docendi arceat, quod solis viris Deus mandauit, Qua de re tractauimus in epistola ad Corinthios priore. Si quis Debotam et similes obiiciat, quas aliquando gubernando populo Dei mandato praefectas legimus: responsio est facilis: extraordinariis Dei factis non euerit communem politiam, cui nos voluit alligatos. Ergo si aliquando prophetandi et docendi locum tenuerunt mulieres, idque Dei Spiritu excitatae: potuit hoc, qui ab omni lege immunis est. Sed quia hoc singulare est, non pugnat cum perpetua et vsitata politia. Addit quod proximum est officio docendi: ne sibi auctoritatem sumant in viros. Nam ista est ratio, vt docere prohibeantur: quia hoc non patitur earum conditio. Subiectae enim sunt docere autem est potestatis, vel superioris gradus. Quanquam videtur ratio non satis firma: cum Prophetiae quoque et doctores regibus sint subiecti, aliisque magistratibus. Respondeo, nihil esse absurdi, quin praesit aliquis, et simul pareat, secundum diuersos repectus. Sed in muliere id non valet, quae natura, hoc est, ordinaria Dei lege, ad parendum nata est. Nam *γυναικοκρατιαν* omnes prudentes semper instar portentis repudiarunt. Quare, coelum quodammodo terrae miscebitur, si docendi ius arripiant mulieres. Iubet ergo eas quiescere, hoc est, se continere intra suum ordinem.

Adam enim creatus.) Videtur haec parum valida esse subie

I. TIMOTH.

[p.28]

ctionis ratio. Nam et Ioannes Baptista tempore Christum praecessit, dignitate tamen longe inferior. Sed Paulus circumstantias omnes, quae a Moise referuntur, tametsi non exprimat, voluit tamen a lectoribus expendi. Moises autem docet, ita posteriore loco creatam esse mulierem, vt sit quasi viri accessio: et hac lege fuisse viro adiunctam, vt praesto adsit, ad exhibenda obsequia. Cum ergo non duo capita Deus aequa potestate creauerit: sed viro addiderit adiumentum inferius: merito ad illum creationis ordinem nos Apostolus reuocat, in quo relucet aeterna et inuiolabilis Dei institutio.

Et Adam non fuit deceptus.) Respicit ad poenam mulieri inflictam: Quia obedisti voci serpentis: sub potestate viri eris, et ad illum appetitus tuus. Nam quia exitiale consilium

dederat, digna fuit, quae ab alieno iure et arbitrio pendere disceret: quia virum abduxerat a Dei imperio, digna fuit quae omni libertate priuata, sub iugum redigeretur. Caeterdm non
 345 simplicem aut nudam transgressionis causam hic Apostolus obtendit: sed pronunciata a Deo sententia nititur. Sed videntur haec duo nonnihil pugnare: quod mulieris sub ictio poena sit transgressionis: et tamen illi fuerit a creatione imposita. Nam inde sequitur, prius addictam fuisse seruituti, quam delinqueret. Respondeo, nihil impedire, quominus et naturalis ab initio fuerit conditio seruiendi: et deinde propter peccatum accidentalis
 350 esse coeperit: vt iam minus liberalis sit subiectio, quam prius fuisset. Caeterum locus hic quibusdam occasionem praebuit, vt negarent Adam errore lapsum esse: sed vxoris tantum illecebris fuisse victum. Putant igitur mulierem tantum astu diaboli deceptam, vt se et virum diis similes fore crederet. Adae vero nihil fuisse persuasum: sed frustum gustasse, vt morem vxori gereret. Atqui hanc opinionem promptum est refellere. Nisi
 355 enini fidem habuisset sathanae mendacio: non illi exprobraret Deus: Ecce Adam quasi vnus ex nobis. Sunt aliae rationes quas taceo: quia non longa refutatione indiget error, nulla probabili coniectura fultus. Paulus enim suis verbis non significat Adam non eadem implicitum fuisse Diaboli fallacia: sed tantum causam vel originem transgressionis ab Eua profectam esse.
 360 Seruabitur autem.) Quia imbecillitas sexus mulieres reddit magis suspitiosas et timidas: et talis erat superior sententia, quae vehementer percellere et consternare vel maxime viriles animos posset: ideo adhibita consolatione, temperat quod dixit. Neque enim nos ideo accusat vel coarguit Spiritus Dei, vt pudore confusis insultet: sed prostratos mox erigit. Poterat hoc, vt iam dixi, exanimare mulieres: eum sibi imputari audirent
 365 totius humani generis exitium. Qualis enim est hic reatus? Prasertim cum in subiectione

CAP. II.

[p.29]

ira Dei assidue versetur ob oculos. Ergo Paulus, vt illas soletur, ac suam illis conditionem tolerabilem reddat, spem salutis relictam esse admonet, vteunque sustineant poenam temporalem. Duplex iste consolationis fructus notandus est: quod proposita salutis spe retinentur: ne reatus sui commemoratione perterritae, in desperationem ruant: deinde
 370 quod assuefiant ad tolerandam aequis et tranquillis animis seruiendi necessitatem, vt libenter se viris submittant, cum admonentur hoc genus obsequii etsibi esse salutare et Deo acceptum. Si ad operum adstruendam iustitiam hic locus torqueatur, vt faciunt Papistae: simplex est solutio: quia hic non disputat Apostolus de causa salutis, non posse nec debere ex eius verbis colligi, quid mereantur opera: sed tantum ostendi, qua nos via
 375 perducatur Deus ad salutem cui nos sua gratia destinavit.

Per generationem.) Ridiculum hoc foret hominibus nasutis, Christi Apostolum non modo hortari mulieres ad dandam operam procreandae soboli: sed hoc opus tanquam pium et sanctum ita vrgere, vt rationem esse dicat obtinendae salutis. Quinetiam videmus, quibus probis tlorum coniugalem infamauerint hypocritae, qui sanctiores videri prae
 380 aliis omnibus volebant. Sed aduersus sannas impiorum facilis est defensio. Primum enim non tantum de gignenda prole hic tractat Apostolus: sed de perferendis molestiis omnibus, quae et durae sunt et multiples tam in partu quam in educatione liberorum. Deinde quidquid hypocritae iudicent vel mundi sapientes, pluris hanc obedientiam facit Deus, cum mulier ad quid vocata sit reputans, impositae sibi a Deo conditioni se subiicit,

385 nec taedium gestationis, nec ciborum fastidium, nec morbos, nec difficultatem pariendi, imo potius dirum cruciatum, nec solitudinem pro foetu, nec alia quae sunt officii sui detrectat, quam si haeroicis alioqui virtutibus se ostentaret, Dei interim vocationi obsequi detrectans. Adde, quod non potuit aptior afferri consolatio, nec efficacior, quam si rationem et medium, vt ita loquar, salutis consequendae in ipsa poena ostenderet.

390 Si manserint in fide.) Quia vetus interpres generationem liberorum posuerat: vulgo receptum fuit, vt ad liberos referrent hoc membrum. Atqui vnica vox est apud Paulum, τεκνογονία. Proinde ad mulieres referri necessarium est. Quod autem plurale verbum est, nomen vero singulare, nihil habet incommodi. Si quidem nomen indefinitum, vbi scilicet de omnibus comimunis est sermo, vim collectiui habet: ideóque mutationem
395 numeri facile patitur. Porro, ne totam mulierum virtutem in coniugalibus officiis includeret: ideo maiora adducit. Imo tunc demum generatio gratum est Deo obsequium, cum ex fide et charitate procedit. His duo

I. TIMOTH.

bus adiungit sandificationem, quae totam vitae puritatem continet, dignam Christianis mulieribus. Postremo sequitur temperantia, cuius pauloante meminerat, de vestitu
400 loquens. Sed nunc eam latius ad alias vitae partes extendit.

[p.30]

CAPVT. III.

CERTVS sermo: *Si quis episcopatum appetit, praeclarum opus desiderat. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxoris maritum, sobrium, temperantem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum, non vinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum, sed aequum, alienum a pugnis, alienum ab auaritia, qui domui suae bene praesit, qui filios habeat in subiectione, cum omni reuerentia. Quod si quis propriae domui praeesse non nouit: EcCicsiam Dei quomodo curabit? Non nouitium, ne inflatus in condemnationem incidat Diaboli. Oportet autem illum et bonum testimonium habere ab extraneis: ne in probrum incidat et laqueum Diaboli.*

Certus sermo.) Quod Chrysostomus clausulam esse putat superioris doctrinae, mihi nomplacet. Solet enim Paulus hanc formulam praefando magis vsurpare. Deinde non erat illic tantae affirmationis vsus. Quod autem nunc dicturus est, plus habet aliquanto ponderis. Sit igitur praefatio, ad notandam rei grauitatem
5 habita. Si quis episcopatum.) Quoniam mulieribus interdixerat officium docendi sumpta inde occasione, nunc de episcopatu ipso disserit. Primo, quo melius appareat, quam non sine causa mulieres admittere noluerit ad ipsum exercendum: deinde, ne solas mulieres arcendo viros omnes promiscue admittere videatur: tertio quia expediebat, Timotheum et alios admoneri, quanta in eligendis episcopis religio seruanda esset. Talis
10 ergo est contextus, mea sententia, acsi diceret Paulus, adeo non esse idontas mulieres obeundae tantae functioni, vt ne viris quidem ipsis indiscriminatim patefierit aditum

CAPVT III.

[p.31]

oporteat. Proinde admonet, non vulgare esse opus, vt sibi quilibet permittat id suscipere. Nam cum dicit καλόν, non dubito quin ad vetus prouerbum alludat, quod saepius a Platone repetitur: Αυσκολα τα καλᾶ. Quo Graeci significant, quae pulchra sunt, eadem ardua et difficilia esse: atque ita difficultatem cum excellentia coniungit. Imo sic argumentatur: non esse cuiusuis Episcopatu fungi, quia res sit eximia. Iam puto sensum Pauli esse satis perspicuum: quem tamen nemo interpretum assecutus est, quod videam. Summa est, habendum esse in recipiendis Episcopis delectum, quia munus sit laboriosum ac difficile: ac diligenter qui ad illud adspirant debere secum reputare, an pares futuri sint ferendo tanto oneri. Audax semper est imperitia: et circumspecta rerum cognitio modestum reddit hominem. Vnde fit, vt tanta confidentia saepe munus gubernandi ambient qui nihil habent, vel ingenii, vel prudentiae, nisi quod clausis oculis ruunt? Sic dicebat Quintilianus, indoctos fortius dicere: cum trepident summi oratores. Vt in appetendo episcopatu eiusmodi temeritatem cohibeat Paulus, admonet primo, non ociosam esse dignitatem, sed opus. Deinde non quoduis opus, sed eximium, et ideo arduum, plenumque difficultatis: vt est reuera. Neque enim leue est. in tanta administratione sustinere personam filii Dei, vbi agitur de Regno Dei erigendo et propagando, vbi de animarum salute curanda, quas sanguinis sui precio Dominus ipse dignatus est, de regenda Ecclesia, quae est Dei haereditas. Sed non est hic propositum concionari. Et hoc argumentum rursus attinget Paulus proximo capite. Verum quaeritur, an vilo modo episcopatum appetere liceat? Videtur enim absurdum, vt quis voto praeueniat Dei vocationem. Atqui Paulus, dum temerarium desiderium reprehendit, permittere videtur, vt circumspecte et modeste quis appetat. Respondeo, si aliis in rebus dam natur ambitio, in episcopatu multo grauius damnandam esse. Atqui Apostolus de pio desiderio loquitur, quo student sancti homines quidquid habent doctrinae conferre ad Ecclesiae aedificationem. Nam si docendi munus appetere omnino nefas esset: quorsum se discendo compararent qui totam adulescentiam in sacrae Scripturae lectione consumunt? An non theologicae scholae pastorum sunt seminariati Proinde qui ita sunt instituti, non modo licite possunt, sed etiam debent etiam antequam in munus sint cooptati, voluntaria oblatione se ac suam operam sacrare Deo. Modo tamen non se ingerant ipsi, ac ne voto quidem suo se designent Episcopos: sed tantum parati sint ad munus obeundum, si eorum opera ftagitetur. Quod si legitimo ordine non fuerint vocati, sciant aliter visum esse Deo, neque indigne ferant se fuisse aliis posthabitos. Verum ita affecti erunt, qui, nullo sui respectu. Deo et Ecclesiae tantum seruire optabunt: et simul erunt

I. TIMOTH.

[p.32]

ea modestia, vt minime inuideant, si alii, tanquam digniores, praeferantur. Si obiiciat quispiam, tantae molis esse Ecclesiae regimen, vt horrorem sanis hominibus incutere potius debeat, quam prouocare ad sui desiderium: respondeo, piorum desiderium non recumbere in fiduciam propriae industriae, aut virtutis, sed Dei auxilio, a quo non est sufficientia: quemadmodum alibi tractat Paulus. Caeterum, obseruandum est, quid Paulo sit episcopatus. Eoque magis, quod veteres, suorum temporum consuetudine a vero sensu abducti fuerunt. Nam cum Paulus generaliter comprehendat omnes pastores:

ipsi Episcopum accipiunt, qui ex vnoquoque collegio eligebatur, vt fratribus praesesset. Meminerimus ergo perinde valere hoc nomen, acsi ministros, vel pastores, vel presbyteros
55 nominasset.

Oportet ergo.) Illatiua particula expositionem, quam posui, confirmat. Nam pro muneris dignitate colligit, hominem requiri praeditum raris dotibus, et non quemlibet ex vulgo. Si esset bonum opus, vt habet communis transsatio, vel honestum, vt reddidit Erasmus illatio non quadraret. Vult auteni Episcopum esse irreprehensibilem. Pro quo
60 ad Titum posuit, *νέ γαλλκτομ*: vtroque nomine significans, non debere vlla infamia notatum esse, quae auctoritatem illi deroget. Neque enim inter homines reperietur, qui purus sit omni vitio. Sed aliud est, laborare communibus vitiis, quae existimationem non laedunt, quia cadunt in homines honestissimos: aliud probrosi esse nominis, vel aliqua turpitudine esse foedatum. Ergo ne auctoritate careat Episcopus, iubet eligi,
65 qui sit honestae et integrae fama, nullique notabili vitio obnoxius. Porro non tantum praescribit Timotheo, quales eligere debeat: sed etiam singulos admonet, qui ad gradum illum adspirant, vt se vitamque suam diligenter examinent.

Vnius vxoris maritum.) Puerile est commentum, interpretari vnus Ecclesiae pastorem. Receptior est altera expositio, debere recipi, qui non fuerit duplici coniugio implicatus, iam tamen coelibem, vnica vxore mortua. Sed enim tam hic, quam primo ad Titum capite, verbata sonant, qui sit non qui fuerit. Et infra capite quinto, cum aget de viduis, distincte vtetur praeteriti temporis participio. Prae terea, hoc modo pugnaret ipse secum: vt pote qui alibi testatur, se talem nolle iniicere laqueum conscientiae. Sola igitur Chrysostomi expositio vera est, polygamiam hic nominatim in Episcopo damnari, quae
75 tunc apud Iudaeos pro lege fere obtinuerat. Partim hoc habebant ex peruersa patrum imitatione. Nam qui legebant Abraham, Iacob, Daudem et similes, pluribus simul vxoribus fuisse coniugatos idem sibi quoque licere arbitrabantur. Partim hanc corruptelam ex vicinis gentibus traxerant. Nunquam enim apud Orientales qua

CAPVT III.

[p.33]

decebat religione et fide culta fuerunt coniugia. Quidquid sit: polygamia apud eos vulgo
80 inualuerat. Itaque non immeritd Paulus maculam hanc ab Episcopi persona alienam esse iubet. Neque tamen eorum opinionem improbo, qui putant Spiritum sanctum Diabolicae superstitioni voluisse occurrere, quae postea obrepsit. Ac si dixisset, adeo non cogendos ad coelibatum Episcopos, vt maxime ipsos deceat coniugium. Hoc modo non exigeret ab illis tanquam rem necessariam: sed tantum laudaret, tanquam ab officii dignitate
85 minime alienam. Simplicius tamen est ac firmitus, quod iam dixit ab ordine episcopali arceri polygamiam a Paulo: quia signum sit hominis libidinosi et fidem coniugalem non feruantis. Verum hic obiicitur, non debuisse, quod in omnibus est vitiosum, solis episcopis prohiberi. Solutio facilis est: non ideo protinus aliis fieri licentiam, cum episcopis nominatim hoc interdicitur. Neque enim dubium est, quin Paulus in vniuersum
90 damnauerit, quod cum perpetua Dei lege pugnabat. Fixum enim est decretum: Erunt duo in carnem vnus. Sed potuit in aliis vt cunque tolerare, quod in episcopo niniis turpe, ideoque non ferendum fuisset. Neque enim hic lex in posterum sancitur, ne episcopus qui vnus habet vxorem, secundam aut tertiam inducat. Sed ab ordine episcopali repellit Paulus, quicumque tale flagitium admiserint. Quod itaque iam factum corrigi non poterat,

95 fert coactus, sed non nisi in plebe. Quid enim remedii? An secundas ac tertias vxores repudiassent, qui sub Iudaismo in polygamiam se coniecerant. Atqui tale repudium non caruisset iniuria. Quod ergo integrum non erat, intactum reliquit. Tantùm exceptit ne quis episcopus tali macula aspersus esset.

Sobrium.) Erasmus reddidit, vigilantem. Quando $\nu\kappa\epsilon$ $\tilde{\alpha}$ - atas Graecis vtrunque significat: eligant vtrum volent lectores. $\sigma\upsilon\epsilon\rho\upsilon\nu\alpha$ malui reddere temperantem, quam sobrium: quia $\sigma\upsilon\rho$ $\rho\omicron\sigma\upsilon\nu\kappa$ latius patet, quam sobrietas. Compositus est, qui decenter et honeste se gerit. Hospitalitas est erga extraneos: cuius frequentior apud veteres vsus fuit. Turpe enim fuisset honestis hominibus, et praesertim notis, in cauponas diuertere. Hodie alia ratio. Est tamen, semperque erit virtus haec in Episcopo multas ob causas necessaria.

105 Aptum ad docendum.) Doctrinae in Epistola ad Titum expressior fit mentio. Hic tantùm breuiter dexteritatem ponit. Neque enim satis est, si quis recondita eruditione polleat: nisi accedat etiam docendi gratia. Multi enim, vel quia linguae sunt impeditae, vel quia non satis perspicacis ingemi, vel quia non satis populares, intus suppressum retinent quod norunt. Tales sibi, vt aiunt, et musis canere decet. Qui populi regendi curam habent, ad docendum apposici sint oportet. Ne que verò linguae tantum volubilitas hic requiri

L. TIMOTH.

[p.34]

tur, Nam plerosque videmus disertos, quorum prompta loquacitas nihil habet aedificationis. Sed potius commendatur prudentia, vt scite ad vsum populi accommodetur Dei verbum. Operaeprecium autem est reputare, quam nihil ad se pertinere ducant Papistae, 115 quidquid Apostolus praescribit. Neque vero singulis, vel excutiendis, vel enumerandis insistam. Vnum hoc qua diligentia apud eos seruatur? Et sane dos ista superuacua foret, quando ministerium docendi, quasi vile et sordidum, a se depellunt: quod tamen Episcopi maxime proprium erat. At neminem latet, quantum absit a Pauli regula, episcopali titulo $\kappa\omega$ $\varphi\delta\nu$ $\pi\rho\delta\sigma\upsilon\pi\omicron\nu$ superbe gloriari: si modo theatro habitu appareat. Quasi cornuta mitra, annulus bene gemmatus, argenteum pedum, et fimiles nugae cum lusoria pompa, spirituale Ecclesiae regimen constituent, quod nihilo magis a doctrina potest auelli, quam nostrum vnusquisque a propria anima.

125 Non vinolentum.) Non tantùm ebrietatem hoc verbo damnat: sed quamuis intemperiem in vino ingurgitando. Non tantùm quia pastori pimis indecora est immodica vini potatio: sed etiam quod fere multa peiora secum trahit: vt sunt, rixae, ineptae gesticu latiomnes, lasciuiiae: et quae recensere non est necesse. Quod percussorem accipit Chrysostomus pro eo qui lingua ferit, hoc est, conuitiatur, aut iurgiis proteruius insurgit, non recipio. Nec me mouet eius ratio, nihil fore magnum, si manu non caedat 130 Episcopus. Generaliter enim puto hic reprehendi militarem ferociam, qua nihil minus decet Christi seruos. Quanto enim se ludibrio exponant, notum est, qui ad infligendum pugni ictum, ne dicam ad gladium exerendum sunt promptiores, quam ad pacandas sua grauitate aliorum lites. Percussores ergo vocat minaces et Martii calor. Turpiter lucri cupidi, sunt auari omnes. Nam vbicumque erit auaritia, simul erit hoc turpe, cuius meminit Apostolus. Qui diues fieri vult, et cito vult fieri, inquit ille. Hinc fit, vt auari 135 omnes, etiam si palam id non appareat, ad foedos et illicitos quaestus animum adiciant.

Quare huic vitio opponit con temptum pecuniae: sicuti nullum est aliud remedium, quo corrigatur. Qui paupertateminquam, aequo libentique animo non feret, nunquam effugiet morbum illum sordidae ac seruilis cupiditatis. Percussoris vocabulo opposuit aequum
 140 etalienum a pugnis. AEquus autem est, qui placido et moderato animo iniurias ferre nouit, qui multa condonat, nec ad summum ius omnia exigit. Alienus a pugnis, qui fugit contentiones et certamina.

Qui domui suae bene praesit.) Hinc apparet, non requiri a Paule Episcopum humanae vitae expertem, sed bonum et probatum patremfamilias. Nam vtcunque vulgo plus habeat
 145 admirationis coelibatus et vita philosophica, quae prorsus remota sit a communi mo

CAPVT III.

[p.35]

re: experientia tamen ipsa, prudentibus quidem et consyderatis hominibus, hoc demonstrat, eos ad regendani Ecclesiam magis formatos esse et aptiores, qui communem vitam non ignorant: sed in humanae conuersationis officiis sunt exercitati. Ideoque obseruanda est ratio, quae paulopost additur:minime parem fore gubernandae Ecclesiae Dei, qui
 150 familiae praeesse nesciet. Atqui tales sunt permulti, imo fere omnes, qui ex ociosa et solitaria vita, quasi ex latebris, extrahuntur: syluestres scilicet quodammodo et nullius humanitatis. Non tamen hic astutum hominem probat Apostolus, et rei domesticae callentem: sed qui familiam gubernare didicerit honesta disciplina. De liberis tamen praecipue loquitur, qui debent patris referre ingenium. Proinde magnum erit dedecus
 155 Episcopi, si filios habeat flagitiosae et infamis vitae. De vxoribus aget postea. Nunc, vt dixi, praecipuam domus partem attingit. Primo capite ad Titum, ostendit quid hic significet per nomen reuerentiae. Nam postquam dixit non oportere praefractos et immorigeros esse filios Episcopi, simul addit, neque obnoxios probro dissolutionis, aut intemperantiae. Vult ergo in summa, moribus esse ad omnem castitatem, modestiam,
 160 et grauitatem compositis. Argumentum quod sequitur a minori ad maius per se clarum est: nequaquam fore parem regendo populo, qui ad regendam familiam sit ineptus. Praeterquam enim quod inde constat necessariis virtutibus destitui quid auctoritatis habere poterit in populo, eum propria domus contemptibilem eum reddat?

Non nouitium. Quia multi tunc praestanti ingenio et doctrina adducebantur ad fidem: tales Paulus ad episcopatum, statim atque Christo nomen dederint, admitti prohibet.
 165 Nam ostendit quam tum sit in ea re periculi. Ventosos enim fere esse constat, plenisque ostentatione. Ita fiet, vt arrogantia et ambitio praecipites eos agat. Quod dicit Paulus nos experimur. Neque enim ad audendum modo feruidi sunt nouitii: sed etiam stulta confidentia turgidi: acsi nubes transuolare possent. Proinde non sine causa ab honore
 170 episcopatus arcentur, donec temporis successu domita sit ingenii altitudo. Iudicium Diaboli tribus modis interpretari licet. Nam Diabolum quidam pro Sathana accipiunt, alii pro calumniatoribus. Priorem sensum magis amplector: quia rarum est, vt iudicium maledicentiam signi ficet. Sed rursus iudicium Sathanae, tam actiue quam passiuie sumi potest. Hunc posteriorem sensum Chrysostomus sequitur, cui ego facile assentior.
 175 Est enim elegans antithesis, quae indignitatem auget, si is qui praeficitur Ecclesiae Dei, sua elatione in eandem cum Diabolo condemnationem ruat. Quanquam actiuam significationem non re iiciofore vt Diabolo causam sui aceusandi praebeat. Sed verior Chry sostomi opinio.

I. TIMOTH.

[p.36]

Testimonium ab extraneis.) Difficillimum hoc esse videtur, vt pius vir testes habeat infideles suae integritatis, qui mentiendi aduersum nos libidine insaniunt. Sed intelligit Apostolus, vt quoad externam consuetudinem etiam infideles cogantur eum agnoscere probum virum. Nam etsi omnibus Dei filiis sine causa obtreant: non possunt tamen sceleratum iudicare, qui honeste et innocenter inter eos versatus sit. Talem probitatis notitiam hic Paulus notat. Ratio additur: ne in probrum incidat, et c. Quod ego ita expono: infamiae expositus, perfrictae frontis esse incipiat, tantóque maiore licentia se prostituat ad omnem nequitiam. Quod est, Diaboli plagis se irretire. Quid enim spei restat, vbi nullus est peccandi pudor?

Diaconos similiter graues, non bilingues, non multo vino deditos, non turpiter lucricupidos habentes mysterium fidei in pura conscientia. Et hi probentur primùm: deinde ministrent, vbi irreprehensibiles comperti fuerint. Mulieres similiter graues, non calumniatrices, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint vnus vxoris mariti, qui honeste praesint filiis et domibus suis. Nam qui bene ministrauerint, gradum sibi bonum acquirunt, et multam libertatem in fide, quae est in Christo Iesu.

Diaconos similiter.) Non est, quod variae interpretationes serupulum nobis iniiciant. Certum est, Apostolum de iis tractare, qui publicam in Ecclesia functionem exercent. Quo refellitur eorum opinio, qui ministros domesticos putant hoc nomine designari. Quod autem alii ad presbyteros referunt Episcopo inferiores, caret fundamento. Nam ex aliis locis patet, commune omnibus presbyteris fuisse nomen. Idque fateri omnes coguntur. Praesertim locus in primo capite ad Titum eam significationem esse comprobatur. Restat. vt Diaconos intelligamus, quorum mentionem facit Lucas Actorum capite sexto. Ii sunt, qui curam pauperum habebant. Sed de officio eorum qui plura volet, petat ex Institutione. Quatuor primae virtutes, quibus ipsos vult esse praeditos, satis per se notae sunt. Nisi quod sedulo notandum est, eum admonere, ne sint bilingues: quia vitium est, quod in illa administratione difficulter cauetur: et tamen re motissimum, si quod aliud, esse debebat.

Habentes mysterium fidei.) Perinde est acsi dixisset: Qui

CAPVT III.

[p.37]

puram religionis doctrinam teneant, et quidem ex animo, eum serio Dei timore: vel vt rite sit in fide institutus: ne quid ignoret, quod hominibus Christianis est cognitum necessarium. Summam tamen piae doctrinae honorifice mysterium appellat. Vt certe Deus per Euangelium sapientiam terrenis hominibus patefacit, quam in coelo suspiciunt Angeli. Quare nihil mirum, si humanum captum superet. Proinde eam cum summa reuerentia amplectendam esse meminimus: et quia ad tantam altitudinem nunquam conscenderemus proprio Marte, suppliciter Deum rogemus, vt eam Spiritu reuelationis nobis reseret. Rursus cum videmus impios, vel ridere, vel nihil gustare: diuinae esse gratiae agnoscamus, quod quae aliis sunt abscondita, nobis in corde sunt et in oculis, vt inquit Moyses. Ergo Diaconos in mysterio fidei vult esse eruditos: quia etsi docendi munus non habent, nimis tamen absurdum foret, publicam in Ecclesia personam sustinere,

et rudes esse in fide Christiana. praesertim cum saepe incidat necessitas, monendi et consolandi: nisi partibus suis deesse velint. Additur pura conscientia, quae extenditur ad totam vitam: tum vero vt sciant se Deo seruire.

215 Et hi probentur.) Vult non ignotos, sed compertae probitatis eligi, quemadmodum Episcopos. Et hinc apparet, irreprehensibiles dici, qui nullo notabili vitio laborent. Porro haec probatio non est vnus horae: sed in longa experientia consistit.

Mulieres similiter.) Vxores intelligit tam Diaconorum. quam Episcoporum. Debent enim maritis esse adiutrices in officio: quod fieri nequit, nisi prae aliis bene sint moratae. 220 Et quoniam vxorum meminerat, idem praecipit de Diaconis, quod ante de Episcopis. Nempe, vt vnica vxore quisque eorum contentus, casti et honesti patrisfamilias sit exemplum: filionsque et totam domum in sancta disciplina contineat. 918 Hifl22d 2 ROU

Qui bene ministrauerint.) Quia vno, aut altero seculo post Apostolorum mortem 225 inualuerat vsus, vt ex Diaconorum ordine eligerentur presbyteri: vulgo hunc locum exposuerunt de tran situ ad gradum superiorem quasi Apostolus ad honorem presbyterii vo cet, qui fideles se Diaconos praestiterint. Ego, etsi non nego Diaconorum ordinem, interdum seminarium esse posse, ex quo sumantur presbyteri: tamen simplicius accipio Pauli verba, qui probe defuncti fuerint hoc ministerio, non paruo honore dignos esse: 230 quia non sit sordidum aliquod exercitium, sed honorificum imprimis munus. Porro hac particula significat, quantum Ecclesiae intersit, hoc munus a viris selectis administrari, quia existimationem et reuerentiam con ciliat sancta administratio. Caeterum plusquam ridiculi sunt Papistae, dum in Diaconis suis facere se obcendant, quod Paulus praescribit.

I. TIMOTH.

[p.38]

Initiò quorsuni Diaconos suos creant, nisi vt in pompa calicem gestent et ludicris nescio 235 quibus spectaculis pascant oculos imperitorum? Adde quod ne id quidem seruant. Neque enim ab annis quingentis Diaconus vnus creatus est, nisi vt hoc gradu facto mox ad presbyterium conscenderet. Quantae igitur impudentiae est, quod iactant ad gradum altiorem eos euehi, qui probe ministrauerint, cum eos tantum sacerdotio suo dignentur qui nullam prioris officii partem vnquam attigerunt?

240 Et libertatem in fide.) Merito hoc addidit. Nihil enim est, quod aequae libertateni pariat, vt bona conscientia. Quemadmodum econuerso timidos esse oportet, qui male sibi conseii sunt. Quod si licentia interdum exultant, neque aequabilis est ac perpetua, nec quidquam habet ponderis. Ideo etiam exprimit libertatis speciem: In fide, inquit, quae est in Christo. Quo scilicet maiore fiducia Christo seruiant. Sicuti rursus os habent 245 quasi obturatum et constrictas manus, suntque ad bene agendum inhabiles, qui turpiter in sua functione versati sunt: quia nihil illis habetur fidei, nihil autoritatis tribuitur,

Haec tibi scribo, sperans breui ad te venire. Quod si tardauero, vt videas quomodo oporteat in domo Dei versari, quae est Ecclesia Dei viuentis, columna et firmamentum veritatis. Et sine controuersia, magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, visus Angelis, praedicatus Gentibus, fidem obtinuit in mundo, receptus est in gloria,

Spem aduentus sui facit Timotheo, partim vt eum animet, partim vt eorum proteruiam

comprimat, qui sua absentia magis insolescebant. Neque tamen fecte quidquam Timotheo promittit, vel per simulationem alios territat. Omnino enim sperabat se venturum: vt
 250 venisse probabile est, si hanc Epistolam scripsit, quo tempore Phrygiam peragrabat: sicuti refert Lucas Actorumdecimo octauo. Hoc autem nobis argumento sit, quanta solitudine curauerit Ecclesias, qui praesenti malo remedium in breue tempus differre non sustinuerit. Quaquam continuo post addidit, Epistolam instruendo Timotheo scriptam esse, si forte sibi contingeret, moram facere opinione sua longiorem.
 255 Quomodo versari in domo Dei.) Hac locutione commen

CAPVT III.

[p.39]

dat officii pondus ac dignitatem: quia sint pastores veluti oecononn quibus regendam
 fuam domum commisit Deus. Si quis amplae familiae curam sustineat, noctes ac dies
 anxio studio iucumbit, ne quid sua negligentia, vel imperitia, vel socordia pessum eat. Si
 hominibus tantum datur: quanto plus Deo dabitur? Porro Ecclesiam suam hoc nomine
 260 non frustra Deus ipse dignatur. Vtpote qui non modo nos adoptionis gratia in filios
 recepit: sed etiam in medio nostri habitat. Accedit non vulgaris amplificatio, ex eo quod
 vocat columnam et firmamentum veritatis. Quid enim magnificentius potuit dici? Quid
 aeterna illa veritate augustius magisque sacrosanctum, qua et Dei gloria et hominum
 salus continetur in vnum cumulum congerantur omnes prophanae philosophiae laudes,
 265 quibus a suis sectatoribus ornatur: quid hoc, ad dignitatem coelestis huius sapientiae?
 quae sola et lux, et veritas, et doctrina vitae, et via, et regnum Dei praedicari meretur.
 Atqui ea solius Ecclesiae ministerio in terris conseruatur. Quantum ergo onus Pastoribus
 incumbit, qui tam inaestimabilis thesauri custodiae praesunt? Impudenter autem 7
 nugantur Papistae, qui colligunt ex Pauli verbis sua omnia delyria pro Dei oraculis
 270 habenda esse: quia sint columna veritatis, ideoque errare nequeant. Primo videndum est,
 quorsum Paulus Ecclesiam insinat tam splendido titulo. Proculdubio voluit, proposita
 officii magnitudine, admonitos esse pastores, quanta illud fide, diligentia, reuerentia
 administrare debeant. Etenim quam horribilis futura est vltio, si eorum culpa intercidat
 illa veritas, quae imago est diuinae gloriae lux mundi, salus hominum? Haec sane
 275 cogitatio trepidationem alliduam debet incutere pastoribus: non vt eos exanimet, sed
 ad maiorem vigilantiam acuat. Inde colligere promptum est, quo sensu Paulus ita
 loquatur. Ecclesia enim ideo columna est veritatis, quia suo ministerio eam tuetur ac
 propagat. Deus non descendit ipse e coelo ad nos, neque angelos quotidie mittit ad suam
 veritatem promulgandam sed vtitur Pastorum opera, quos in hunc finem ordinauit. Vt
 280 erassius exprimam: Nonne Ecclesia mater est piorum omnium, quae ipsos regenerat
 Dei verbo, quae educat alitque tota vita, quae confirmat, quae ad solidam perfectionem
 vsque perducit? Eadem quoque ratione columna veritatis praedicatur: quia doctrinae
 administrandae munus, quod Deus penes eam deposuit, vni cum est instrumentum
 retinendae veritatis, ne-ex hominum memoria pereat. Ergo elogium hoc ad ministerium
 285 verbi refertur: quo sublato, concidet Dei veritas. Non quia per se minus firma sit, nisi
 hominum humeris fuleiatur: quemadmodum etiam iidem Papistae blatterant. Nam ista
 est execrabilis blasphemia: incertum esse Dei verbum, donec ab hominibus certitudinem
 quasi precarid mutuetur.

I. TIMOTH.

[p.40]

simpliciter intelligit Paulus quod aliis verbis tradit io ad Romcapite: quoniam fides est
 290 ex auditu, nullam fore, nisi sit praedicatio. Itaque hominum respectu sustinet Ecclesia
 veritatem, quia eam praeconio suo celebrat, quia puram et sinceram retinet, quia trans-
 mittit ad posteros. Quod si non resonet Euangelii doctrina, si nulli sint pii ministri qui
 sua praedicatioe veritatem a tenebris et obliuione vindicent: statim mendacia, errores,
 imposturae, superstitiones, omneque genus corruptelae regnum vindicabunt. Denique
 295 silentium in Ecclesia, est exilium oppressioque veritatis. In hac expositione quid omnino
 est coactum: Nunc, quando tenemus Pauli mentem, redeamus ad Papistas. Primùm,
 dum ad se transferunt hoc encomium improbe faciunt, alienis plumis se vestiendo. Nam
 vt euehatur Ecclesia supra tertium coelum: nego id totum ad eos vlllo modo pertine
 re. Quinetiam locum praesentem aduersus eos retorqueo. Nam si Ecclesia columna
 300 est veritatis: sequitur non esse apud eos Ecclesiam, vbi non modo sepulta iacet veritas,
 sed horrendum in modum diruta et euersa pedibus calcatur. An hoc est vel aenigma
 vel cauillum? Pau Ius Ecclesiam non vult agnosci, nisi in qua excelsa et conspicua stat
 Dei veritas. In Papatu nihil tale apparet: sed disiectio tantùm et ruinae. Ergo genuina
 Ecclesiae nota illie non extat. Sed inde hallucinatio, quia quod praecipuum erat, non
 305 consyderant, sustineri Dei veritatem pura Euangelii praedicatione: neque hominum inge
 nio aut sensu niti fulturam, sed ex alto magis pendere: nempe si a simplici Dei verbo
 non disceditur.

Magnum pietatis mysterium.) Alia rursus amplificatio: e minoris, quam decebat,
 hominum ingratitudine fieret Dei veritas. Ergo extollit eius precium, cum admonet, mag-
 310 num esse pietatis arcanum: quia scilicet non agatur de rebus abiectis, sed de reuelatione
 filii Dei, in quo absconditi sunt thesauri omnes sapientiae. Ex tantarum rerum magnitu-
 dine munus suum aestimare debent Pastores, quo plus religionis et timoris adhibeant ad
 illud exercendum.

Deus manifestatus.) Vulgaris interpres, omisso Dei nomine, ad mysterium refert quae
 315 sequuntur. Inscite omnino et perperam: vt clarius, ex ipsa tractatione patebit. quanquam
 Erasmus habet suffragatorem, qui tibi ipse sibi fidem eleuat: vt mea refutatione opus
 non sit. Graeci certe omnes in hanc lectionem consentiunt: Deus manifestatus in
 carne. Verùm, vt demus nome Dei non fuisse expres sum a Paulo, subaudiendum
 tamen esse Christi nomen fatebitur, quisquis prudenter omnia expendet. Ego tamen
 320 sine difficultate, receptam a Graecis lectionem sequor. Quod manifestationem Christi,
 qualem postea describit, vocat magnum arcanum, ratio in promptu est. Haec enim est
 altitudo, profunditas, et latitudo sapientix.

CAPVT III.

[p.41]

cuius meminit ad Ephesios primo, ad quam sensus omnes nostros ob stupescere necesse
 est. Nunc ordine excutiamus singula. Non potuit magis proprie de Christi persona loqui,
 325 quam his verbis: Deus manifestatus in carne. Nam primo, disertum hic testimonium
 habemus vtriusque naturae. Verum enim Deum, et verum hominem simul pronunciat.
 Secundo, notatur inter duas naturas distinctio, cum hinc vocat Deum, inde manifesta-
 tionem in carne ponit. Tertio, vnitas personae significatur, cum vnum eundemque esse
 tradit, qui cum Deus esset, manifestatus fuit in carne. Ita hoc vno testimonio vera et

330 orthodoxa fides aduersus, Arrium, Marcionem, Nestorium, et Eutichem, egregie munitur. Caeterùm magnam emphasin continent ista antitheta, Deus, in carne. Quantùm enim interest inter Deum et hominem? Et tamen immensam Dei gloriam sic videmus in Christo coniunctam cum hac nostra carnis putredine, vt vnum efficiant.

Iustificatus in Spiritu.) Sicuti carnem induendo se exina niuit filius Deusita et in ipso spiritualis apparuit virtus, quae Deum esse testaretur. Porro locum hunc varie exponunt. Sed ego germa num Apostoli sensum vt a me quidem percipitur, contentus explicasse, nihil praeterea addam. Primùm iustificatio, hic approbationem diuinae potentiae significat. Vt Psal.1 9. Iudicia Dei iustificata, hoc est, exquisite et ad vnguem perfecta. Et Psal.51.iustificari Deum, pro eo quod est, laudem iustitiae eius conspicuam reddi. Sic et Matthaei vndecimo, eum dicit Christus iustificatam esse sapientiam a filiis suis, intelligit, honorem illi suum exhibitum. Item Lucas septimo capite, cum publicanos iustificasse Deum commemorat, intelligit, debita reuerentia et gratitudine prosecutos esse Dei gratiam quam in Christo cernebant. Eigo tantundem valet quod hic legimus, ac si dixisset Paulus, eundem, qui humana carne vestitus apparuit, simul tamen declaratum fuisse Dei filium, vt carnis infirmitas nihil derogauerit eius gloriae. Spiritus nomine, comprehendit, quidquid in Christo diuinum fuit ac supra hominem. Idque duas ob causas. Nam quia in carne humiliatus fuerat, nunc exaduerso, illustrationem gloriae ponens, Spiritum opposuit. Deinde, gloria illa, vnigenito Dei filio digna, quam Ioannes in Christo spectatam fuisse docet, non externa pompa, non terreno splendore constabat, sed spritualis fere tota erat. Eadem loquendi forma vsus est primo ad Romanos: Qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem, declaratus autem filius Dei in potentia Spiritus. Nisi quod speciem vnam illic adiciit, nempe resurrectionem.

Visus Angelis, praedicatus Gentibus.) Mira omnia et stupenda: quod Gentes, quae hactenus in caecitate mentis errauerant,

I. TIMOTH.

335 dignatus est Deus reuelatione filii sui, quae coelestes quoque Angelos latuerat. Nam quod Angelis visum esse dicit, intelligit tale spectaculum fuisse, quod tam nouitate quam praestantia sua Angelos in se conuerterit. Quam verè noua res et insolens fuerit Gentium vocatio, diximus secundo adEphesios capite. Nec mirum est, Angelis fuisse nouum spectaculam: qui rametsi de humani generis redemptione cognouerant: modum tamen non tenuerunt ab initio: et celatos ideo oportuit quo plus admirationis haberet tanta Dei bonitas.

Fidem obtinuit in mundo.) Iam illud erat imprimis admirabile, quad eiusdem reuelationis, et Gentes profanas, et Angelos perpetuos regni sui haeredes aequae compotes fecerat Deus. Sed tanta etiam Euangelii praedicati efficacia, miraculum fuit non vulgare, cum Christus tot superatis impedimentis in obedienciam fidei subegit, qui videbantur esse prorsus indomabiles. Nihil certe minus credibile videbatur. Adeo aditus omnes praeclusi erant et obserati, Fides tamen eluctata est, sed incredibili victoriae genere. Postremo, in gloriam receptum esse dicit, nempe ab hac mortali et aerumnosa vita. Ergo sicuti in mundo quoad fidei obedienciam, ita et in Christi persona mira fuit conuersio, dum ex tam abiecta serui conditione euectus est ad dexteram Patris, vt flectatur omne genu.

[p.42]

CARVT. IIII.

SPIRITVS autem clare dicit, quod in posterioribus temporibus desciscunt quidam a fide, attendentes spiritibus impostoribus, et doctrinis daemoniorum in hypocrisi falsiloquorum, caetero notatam habentium conscientiam, prohibentium matrimonia contrahere, iuventium abstinere a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum gratiarum actione fidelibus, et qui cognouerunt veritatem: quod omnis creatura Deibona: et nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem Dei et precationem.

Spiritus autem.) Diligenter admonuerat de multis Timotheum. Iam necessitatem ostendit, quia occurrendum sit periculo, quod imminere Spiritus sanctus denunciat. Venturos scilicet

CAPVT IIII.

[p.43]

falsos doctores, qui nugae pro fidei doctrina obrudant: qui totam sanctitatem collocantes in externis exercitiis, spiritualem Dei cultum, qui solus est legitimus, obscurant. Et sane fuit hoc seruis Dei perpetuum certamen cum talibus, quales hic depingit Paulus. Quia enim natura homines ad hypocrisin feruntur, facile illis persuadet Sathan ceremoniis et externa disciplina rite coli Deum. Immo absque magistro hanc omnes fere persuasionem animis infixam habent. Accedit postea Sathanae astus, ad errorem confirmandum. Inde factum est, ut seculis omnibus extiterint impostores, qui fictitios cultus commendarent, quibus obruebatur vera pietas. Porro haec pestis alteram parit, quod in rebus liberis imponitur necessitas. Nam mundus facile sibi prohiberi sinit, quod per Deum licitum erat, ut impune Dei leges sibi transgredi liceat. Hic ergo Paulus in persona Timothei, non Ephesios modo, sed omnes ubique terrarum Ecclesias praemonet, qui fictitios cultus instituendo, et conscientias illaqueando nouis legibus verum Dei cultum adulterent, et corrumpant puram fidei doctrinam. Hic proprius est scopus, quem notari, imprimis est necesse. Porro quo maiore attentione excipiant omnes quod dicturus est, praefatur, certum esse et minime obscurum oraculum Spiritus sancti. Non est quidem dubium, quin reliqua ex eodem Spiritu hauserit. Verum vteunque semper audiendus sit tanquam Christi organum: tamen in causa magni ponderis, peculiariter voluit hoc testatum, nihil se proferre, nisi ex Spiritu prophetiae. Solenni itaque praeconio nobis hanc prophetiam commendat. Nec toto contentus, addit esse claram, nec vlllo aenigmate implicitam.

In posterioribus.) Hoc vero nemo tunc expectasset, ut in tanta Euangelii luce deficerent. Sed hoc est scilicet, quod dicit Petrus, falsos doctores, sicut populo Israelitico molesti olim fuerunt, ita Christianae Ecclesiae semper fore infestos. Perinde ergo est, ac si diceret: Nunc floret Euangelii doctrina: sed non diu quiescet Sathan, quin zizaniis suffocare studeat purum semen. Proderat haec admonitio seculo Pausi, ut sedulo instantes purae doctrinae, tam Pastores quam reliqui, non circumuenirentur. Nobis hodie non minus est utilis, cum nihil cernimus accidisse, quod non fuerit deserto Spiritus sancti praedictum. Animaduertere praeterea hic licet, quantam Ecclesiae suae curam agat Deus, dum ita mature occurrit periculis. Multiplices quidem artes habet Sathan quibus in errorem nos inducat: et miris insidiis nos adoritur. Verum ex aduerso satis

mu nit nos Dominus: nisi sponte decipi, nobis liberet. Quare non est quod queramus, potentiores esse tenebras luce, aut superari veritatem a mendacio: sed potius nostrae incuriae ignauiaeque poenas damus, cum abducimur a recta salutis via. Sed obiiciunt, qui sibi in

1. TIMOTH.

[p.44]

415 iuis erroribus indulgent, vix posse discerni quosnam aut quales desi gnet Paulus. Quasi vero Spiritus hanc prophetiam de nihilo ediderit, et tantoante promulgauerit. Nam si nullum est certum discrimen, superuacua foret, adeoque ridicula, tota praesens admonitio. Sed absit, vt frustra nos territari putemus a Dei Spiritu, periculi denunciatione: non simul ostendi cauendi rationem. Atque illam calumniam satis per se refutant Pauli verba.

420 Nam quasi digito ostendit malum, quod fugiendum monet. Neque enim genere de pseudopropheta verba facit: sed clare speciem exprimit falsae doctrinae. Nempe quae pietatem alligando externis elementis, spiritua lem Dei cultum peruertit ac profanat: vt iam dixi.

Discedent a fide.) Incertum de magistris ne loquatur, an de auditoribus. Malo tamen ad posteriores referre: quia magistros deinde vocat Spiritus impostores. Et hoc est εμφορικότερον non modo fore, qui spargant impia dogmata, et fidei puritatem inficiant: sed discipulos etiam non defore, quos trahant in suam sectam. Hinc autem nascitur maior perturbatio, cum ita mendacium inualescit. Porro non leue est vitium quod notat, sed atrocissimum crimen, apostasia a fide. Et tamen, prima specie, non videtur in ipsa doctrina tantum esse mali. Quid enim? An propter ciborum vel coniugii prohibitionem funditus euersa est fides? Sed consideranda est altior ratio: quod peruersum Dei cultum homines, pro libidine comminiscuntur, quod regnum inuadunt in conscientias, quod vsum bonarum rerum a Domino permissum vetare audent. Vbi semel vitiatus est cultus Dei, nihil amplius integrum aut sanum. Imo tota fides periit. Quare, rideant nos Papistae

435 licet, cum tyrannicas eorum leges exagitamur, de obseruationibus externis: scimus tamen, causam maxime seriain et grauissimam nos agere: quia dissipatur fidei doctrina, simul atque talibus corruptelis inficitur Dei cultus. Neque enim de carne aut piscibus lis est, neque de nigro aut cineritio colore, neque de die veneris aut mercurii: sed de insanis ho minum superstitionibus, qui Deum talibus nugis placare volunt, et cultum illi carnalem fingendo, idolum, Dei loco, sibi fingunt. Quis hanc a fide discessionem esse neget?:

440

Spiritibus.) Prophetas aut doctores intelligit, quos ideo sic nominat, quia Spiritu- miastant, atque hoc titulo se venditant ad populum. Est quidem hoc perpetud verum, qualescunque sint homines, spiritus instigatione loqui. Sed non idem Spiritus omnes

445 instigat. Nam Sachan aliquando Spiritus est mendax in ore pseudoprophetarum, ad decipiendos infideles, qui decipi merentur. Quisquis autem debitam Christo gloriam tribuit, ex Spiritu Dei loquitur teste Paulo. Verdm locutio ista, de qua nunc agimus, hinc initio

CAPVT IIII.

[p.45]

manauit, quod serui Dei, vt res erat, se habere ex Spiritus reuelatione profitebantur,

450 quaecunque in medium afferebant. Vnde illis inditum fuit Spiritus nomen cuius erant
organa. Sathanae verd ministri, falsa aemulatione, tanquam simiae, idem postea iactare
coeperunt: et nomen quoque falso ad se traxerunt. Secundùm hanc rationem dicit Ioannes:
Probate Spiritus, nunquid ex Deo sint. Et Paulus seipsum exponit, addendo, doctrinis
455 eorum dogmatibus. Iterum obserua, quam non leuis sit error nec dissimulandus, cum
alligantur hominum figmentis conscientiae, et simul vitiatur cultus Dei.

In hypocrisi loquentium.) Si ad daemona referas: tunc significabit hoc nomen,
homines diaboli instigatione fallentes. Potest tamen etiam subaudiri, hominum loquen-
tium. Porrò, ad speciem nunc descendit, cum dicit eos mentiri in hypocrisi, et cauterio
460 notatam habere conscientiam. Et quidem sciendum est, haec duo ita esse coniuncta, vt
prius ex secundo nascatur. Nam malae conscientiae, et seelerum cauterio adustae semper
ad hypocrisin, tanquam ad prom ptum asylum, confugiunt. hoc est, fucos excogitant,
quibus fallantur Dei oculi. Quid enim aliud faciunt, qui student eum placare externis
obseruationum fucis? Ergo hypocrisis pro loci praesentis cir cunstantia definienda est.
465 Nam primo ad doctrinam referri debet: deinde cam doctrinae speciem significat, quae
spiritualem Dei cultum exercitiis corporalibus mutando, genuinam eius puritatem adul-
terat. Ita factitios omnes placandi aut promerendi Dei modos comprehendit. Summa
haec sit: Diaboli instigatione ferri, quicunque fucatam sanctimoniam inducunt: quia
externis ritibus nunquam rite Deus colitur. Nam veri cultores eum adorant in spiritu et
470 veritate. Secundò, hoc esse inutile medicamentum, quo dolores suos mitigant hypocritae,
vel potius emplastrum, quo malae conscientiae vulnera, nullo profectu, summa sua
pernicie occultant.

Prohibitum. Speciali designatione posita, nunc duo quoque indiuidua notat: coni-
ugii scilicet prohibitionem, et ciborum. Sunt enim ex illa hypocrisi, quae relicta vera
475 sanctitate, alienos colores in fucum accersit. Nam qui ab ambitione, odio, auaritia,
crudelitate aliisque similibus non abstinere, earum rerum abstinentia, quarum libertatem
permisit Deus, iustitiam acquirere sibi tentant. Quorsum enim istis legibus onerantur
conscientiae? Nisi quia perfectio extra Dei legem quaeritur. Hoc autem non fit nisi ab
hypocritis, qui vt impune transgrediantur cordis iustitiam quam lex requirit, interiorum
480 suam nequitiam obseruatiunculis istis tegere, quasi velis oppositis, tentant. Clara fuit
haec periculi denunciatio vt non

I. TIMOTH.

fuerit difficilis cautio: fiquidem aures Spiritui sancto tam diserte monenti homines prae-
buisent. Videmus tamen in plurimis praeualuisse Sathanae tenebras: vt nihil tanta lux
insignis et memorandi oraculi profuerit. Etenim non multapost Apostoli mortem exor ti
485 sunt Encratitae, qui nomen sibi a continentia indiderunt. Taciani, Cathari, Montanus cum
sua secta, et tandem Manichaei, qui ab esu car nium, et coniugio abhorrent: et tanquam
res profanas damnarent. Quanquam autem propter suam arrogantiam, quod alios suis
placitis obnoxios facere volebant, ab Ecclesia fuerunt repudiati: eos tamen ipsos, qui illis
restiterunt, plus aequo in eorum errorem declinasse constat. Nolebant quidem legem
490 imponi Christianis. Sed interca, plusquam par esset, superstitiosis obseruationibus def-
erebant: si quis fugeret coniugium si quis carnem non gustaret. Tale est ingenium mundi.

[p.46]

Semper carnali more Deum, quasi carnalis esset, fibi colendum somniat. Paulatim, rebus in deterius collapsis, obtinuit haec tyrannis, ne sacerdotibus aut monachis fas esset matrimonium contrahere: ne quispiam carnem gustare certis diebus auderet. Quare non
 495 immerito Papistis hodie obiicimus hanc prophetiam: quando coelibatum et ciborum abstinentiam seuerius vrgent, quam vllum Dei praeceptum. Ipsi autem ingenioso cauillo effugere se putant, eum Pauli verba torquent aduersus Tacianos, aut Manichaeos, ac similes. Quasi verđ non idem patuisset Tacianis effugium, reiiciendo etiam Pauli sententiam ad Cathaphryges, et authorem illorum Montanum. Quasi non promptum fuisset
 500 Cataphrygibus, Encratitas supponere veluti reos suo loco. At Paulus non de personis hic agit, sed de reipsa. Quamobrem etiam si centum diuersae sectae proferaneur, quae tamen eadem laborent hypocrisi in cibis prohibendis, omnes eundem sustinebunt reatum. Vnde sequitur, nullo profectu obtendi a Papistis veteres haereticos, quasi soli illi taxentur. Semper videndum est, an sint in eadem noxa. Excipiunt, se Encratitis et Manichaeis
 505 esse dissimiles: quia non simpliciter vsum coniugii, et carniū interdicunt: sed certis tantum diebus cogunt ad carnis abstinentiam, solos autem manachos et sacerdotes cum monialibus ad votum coelibatus cogunt. Verdm haec quoque nimis friuola est exusatio. Nam sanctimoniam nihilominus in his rebus locant: deinde falsum et adulterinum Dei cultum instituunt: postremo consci entias alligant necessitati, a qua debebant esse liberae.
 510 Extat apud Eusebium libro quinto, fragmentum quoddam ex scriptis Apollonii, vbi inter caetera Montano exprobrat, primum fuisse, qui nuptias soluerit, et ieiuniorum leges imposuerat. Non dicit in vniuersum prohibuisse matrimonium aut cibos. Satis est, si quis religionem conlescendo. n. elande las unl rerum obseruatione. Deum colere pra

CAPVT IIII.

[p.47]

cipiat. Nam rerum liberarum prohibitio, siue generalis sit, sine specialis, semper est
 515 tyrannis Diabolica. Melius tamen id de cibis verum esse, ex proximo membro patebit.

Quos Deus creauit.) Notanda ratio, debere nos in vsu ciborum concessa a Deo libertate esse contentos, quia eos creauerit in hunc finem. Hoc piis omnibus inaestimabile gaudium est, cum sciunt alimenta omnia, quibus vescuntur, sibi de manu in manum a Domino porrigi: vt purus sit ac legitimus illorum vsus. Quanta vero hominum arrogantia
 520 est, eripere quod Deus largitur? An cibos ipsi creant? An Dei creationem possunt irritam facere? Semper itaque nobis in mentem veniat, eum qui creauit, liberum quoque vsum fecisse, quem frustra impedire conantur homines. Creauit, inquam, cibos Deus ad percipiendum, hoc est, vt illis fruamur. Hunc finem euertere nunquam poterit humana autoritas. Addit autem, cum gratiarum actione: quia nihil Deo pro sua liberalitate
 525 rependere possumus, quam gratitudinis testimonium. Porro non potest esse gratiarum actio sine sobrietate et temperantia. Neque enim Dei beneficentiam vere agnoscit, qui ea perperam abutitur,

Fidelibus et iis qui cognouerunt.) Quid ergo An non solem suum quotidie oriri facit Deus super bonos et malos? An non eius iussu terra impiis panem producit? An
 530 non eius benedictione etiam pessimi aluntur? Est enim vniuersale illud beneficium, quod Dauid Psalmo centesimo quarto decantat. Respondeo, Paulum de vsu licito hic agere, cuius ratio coram Deo nobis constat. Huius minime compotes sunt impii, propter impuram conscientiam, quae omnia contaminat: quemadmodum habetur primo capite

ad Titum, Et sane, proprie loquendo, solis filiis suis Deus totum mundum, et quidquid in
 535 mundo est, destinavit. Qua ratione etiam vocantur mundi haeredes. Nam hac conditione
 constitutus initio fuerat Adam omnium Dominus, vt sub Dei obedientia maneret. Proinde
 rebellio aduersus Deum, iure, quod illi collatum fuerat, ipsum vna cum posteris spoliavit.
 Quoniam autem subiecta sunt Christo omnia: eius bene neficio in integrum restituimur:
 idque per fidem. Quare veluti alienum furantur aut praedantur infideles, quodeunque
 540 vsurpant. Posteriore membro definit quos vocet fideles. Nempe qui notitiam habent
 sanae doctrinae. Neque enim fides, nisi ex verbo Dei: ne falso putemus confusam esse
 opinionem, quemadmodum fingunt Papistae. Quia omnis creatura.) Ciborum vsus
 aestimari debet partim ex illorum substantia, partim ex eius persona qui yescitur. Vtroque
 igitur argumento pugnat Apostolus. Nam quod ad cibos attinet, puros esse asserit: quia
 545 sint a Deo conditi. Consecrari vero nobis illorum vsus fide et precatione. Bonitas
 creaturarum eius me

I. TIMOTH.

[p.48]

minit, relationem habet ad homines, et eam quidem non ad corpus, aut valetudinem: sed
 ad conscientias. Ne quis scrupulose extra loci circumstantiam philosophetur. Nam vno
 verbo significat Paulus, non esse immunda nobis coram Deo, vel polluta, quaecunque ex
 550 Dei manu proueniunt, et nobis in vsus destinantur, quin illis vesci, quoad conscientiam,
 liceat. Si quis obiciat, multa animalia olim pro nunciata fuisse immunda in lege: et
 fructum quem arbor scientiae boni et mali proferebat exitialem homini fuisse: responsio
 est, non ideo tantum puras vocari creaturas, quia Dei sunt opera: sed quia eius beneficentia
 nobis sint datae. Semper enim respicienda est Dei ordinatio: et quid iubeat, aut prohibeat.
 555 Sanctificatur enim.) Confirmatio est proximae particulae, si eum gratiarum actione
 sumatur. Et est arguendum a contrariis. sunt enim contraria, sanctum et profanum.
 Nunc videamus, qualis sit omnium bonorum, quae ad sustinendam praesentem vitam
 pertinent, sanctificatio. Eam Paulus sermone Dei et oratione constare, testatur. Sed
 notandum est, fide oportere apprehendi hunc sermonem. vt prosit. Tametsi enim Deus
 560 ipse solo Spiritu oris sui omnia sanctificat: nos tamen id beneficium, non nisi fide, per-
 cipimus. Huc accedit oratio: quia et a Deo panem nostrum quotidianum petimus ex Chri-
 sti mandato: et gratiarum actione prosequimur eius bonitatem. Vnde colligendum est,
 impuram esse vsurpationem omnium donorum Dei, nisi adsit vera cognitio, et inuocatio
 nominis Dei. Ac beluinum esse vescendi morem, cum homines sine vlla precatione ad
 565 mensam se ingerunt, ac bene saturi, sepulta Dei mentione, alio se proripiunt. Quod si in
 alimentis communibus, quae vna cum ventre corruptioni sunt obnoxia, requiritur talis
 sanctificatio: quid de spiritibus sacramentis est sentiendum? Si verbum absit, et inuoc-
 atio Dei ex fide quid restat nisi profanum? Hic notanda est distinctio inter benedictionem
 mysticae et communis mensae. Cibos enim, quibus ad corpus pascendum vescimur
 570 hunc finem benedicimus, vt pura sit ac legitima perceptio. At panem et vinum in mystica
 Coena augustiore modo consecramus, vt nobis sint corporis ac sanguinis Christi pignora.
 uta proumobiu 111

2 2 Haec suggerens fratribus, bonus eris Iesu Christi minister, innutritus sermonibus fidei, et bonae doctrinae, quamsecutus es. Profanas autem et aniles fabulas deuota. Quin potius exerce teipsum ad pietatem. Namcorporalis exercitatio paululum habet vtilitatis: at pietas ad omnia vtilis est, vt

CAPVT III.

quae promissiones habeat vitae praesentis ac futurae. Indubitatus sermo, dignus que qui modis omnibus approbetur. Nam in hoc et laboramus, et probris afficimur, quod spem fixam habemus in Deo viuente, qui seruator est omnium hominum, maxime fidelium.

[p.49]

Haec suggerens.) Hoc verbo ad frequentem earum rerum commonefactionem hortatur. Quod iterum paulopost et tertio repetet. Sunt enim res eiusmodi, quas saepius in memoriam reuocari expedit. Ac notanda est antithesis, quae subest. Non enim doctrinam, quam commendat, falsis opponit, aut impiis dogmatibus: sed nihili argutiis, quae non aedificant. Eas vult lingua obliuione sepultas esse, cum Timotheum aliis suggerendis intentum esse iubet.

Bonus eris minister.) Quiduis potius saepenumero affectant homines, quam se Christo probare. Hinc fit, vt ingenii, facundiae, reconditae scientiae laudem plures aucupentur. Atque eadem ratio est, cur posthabeantur res necessariae, quae ad conciliandam vulgi admirationem minus valent. At Paulus hoc vno contentum esse Timotheum iubet, vt fidelis sit Christi minister. Et profecto titulus hic longe honorificentior nobis esse debet, quam si millies Seraphici, subtilesque vocaremur. Meminerimus ergo, sicuti summus est honore pii pastoris, censi bonum Christi seruum: ita nihil aliud in tota sua administratione captandum esse. Nam quisquis alio tendet, fieri poterit, vt plausum reportet ab hominibus, sed Deo non placebit. Quare, ne priuemur tanto bono: discamus nihil aliud expetere, aut preciosum ducere, quin prae hoc vno vilescant nobis omnia.

Enutritus.) Quia participium est medium, transferri etiam astute posset, enutritus. Sed cum nulla addita sit constructio: videtur id mihi esse nonnihil coactum. Quare malo passiuè accipere, vt confirmet proximam exhortationem ab educatione Timothei. Ac si diceret: Quemadmodum ab incunabulis fuisti recte institutus in fide: et quasi vna cum lacte imbibisti sanam doctrinam: et continuos in ea progressus hucusque fecisti: da operam vt fideliter ministrando, talem esse te comprobes. Huc etiam conuenit verbi compositio. Fides hic pro summa doctrinae Christianae capitur. Et quod de sana doctrina mox addidit, exegeticum est. Nam significat aliis omnibus doctrinis nihil sanitatis inesse: quantumuis sint plausibiles. Particula haec, quam secutus es, perseuerantiam significat. Nam multi, qui a pueritia Christum pure didicerant, postea degenerant temporis progressu: qui

I. TIMOTH.

600 bus dissimilem facit Timotheum.

[p.50]

At pietas ad omnia vtilis.) Hoc est, qui pietatem habet, illi nihil deest, etiam si careat istis adminiculis. Nam pietas se sola contenta est ad solidam perfectionem. Principium est, medium et finis Christianae vitae. Ideo vbi integra est, nihil est mutilum. Christus non adeo austeram vitae rationem tenuit, quam Ioannes Baptista. An ideo pilo deteriore

605 Summa sit incumbendum esse prorsus in vnam

CAPVT III.

[p.51]

pietatem: quia vbi semel eam assecuti fuerimus, nihil Deus in noonamplius desideret.

Promissiones habens.) Summa consolatio, quod Deus nusquam deesse piis velit. Nam vt perfectionem nostram in pietate statuerat, ita nunc eam facit verae foelicitatis complementum. Quia autem initium foelicitatis est in hac vita, ideo ad hanc quoque
 610 exten dit promissiones diuinae gratiae, quae solae nos efficiunt beatos, et sine quibus sumus miserrimi. Nam Deus in hac quoque vita se nobis fore patrem testatur. Verdm meminimus, inter bona vitae praesentis et futurae discernere. Nam eatenus nobis benefacit Deus in hoc mundo, vt gustum duntaxat suae bonitatis praebeat: et tali gustu nos alliciat ad caelestium bonorum desyderium, vt in illis acquiescamus. Ita fit, vt bona
 615 praesentis vitae non modo permixta sint plurimis erumnis: sed quasi obruta. Neque enim nobis expedit hic abundare, ne luxuriemur. Porro ne quis operum merita hinc efferat: tenendum est quod iam diximus, pietatem non modo bonam conscientiam erga homines ac Dei timorem, sed fidem quoque et inuocationem com

HRI Fidelis sermo.) Non abs re tanta asseueratione vtitur. Est enim paradoxum
 620 valde pgnans cum sensu carnis: Deum suis in hoc mundo suppeditare, quae ad beate et foeliciter viuendum pertinent: cum saepenumero destituti sint bonis omnibus, ideóque puten tur a Deo abiecti. Ergo non contentus simplici doctrina, hoc veluti clypeo contrarias omnes tentationes propulsat.

In hoc enim laboramus.) Anticipatio est, qua soluit illam quaestionem: fideles, quia
 625 premantur omne genus aerumnis, omnium esse miserrimos. Ergo vt ostendat, non debere ab externa specie aestimari eorum conditionem, separat eos a reliquis, primùm in causa: deinde in exitu. Vnde sequitur, nihil illis decedere ex promissionibus quas dixit, cum rebus aduersis vexantur. Summa est, non esse miseros fideles in afflictionibus: quia bona conscientia eos sustentat: et prosper laetusque exitus eos manet. Quia autem foelicitas
 630 vitae praesentis duobus potissimùm membris constat, honore et commoditatibus: ponit duo contraria, labores et probrum: priore vocabulo significans incommoda quaeuis et molestias: vt sunt paupertas, frigus, nuditas, fames, exilia, spoliationes, vincula, verbera, et aliae persecutiones. Consolatio liaec, speramus in Deum viuum, ad causam refertur. Nam adeo non sumus miseri, cum patimur propter iustitiam, vt potius ea sit iusta materia
 635 gratulationis. Adde quod afflictiones nostrae cuni spe in Deum viuum coniunctae sunt. Imo spes est quasi fundamentum. Atqui ea nunquam pudefacit. Sequitur ergo, piis in lucro deputanda esse omnia.

I. TIMOTH.

[p.52]

Qui seruator est.) Secunda consolatio, quae tamen ex priore dependet. Nam liberatio,
 de qua loquitur, est quasi fructus spei. Quod vt clarius pateat, sciendum est, esse
 640 argumentum a minori ad maius. Nam οοτ ρος nomen, hic est generale, pro eo qui tuetur ac conseruat. Intelligit Dei beneficentiam ad omnes homines peruenire. Quod si nemo est mortalium, qui non sentiat Dei erga se bonitatem, eiusque sit particeps: quanto magis eam experientur pii, qui in eum sperant? An non peculiarem ipsorum gerer curam? An

non multo liberalius se in eos effundet An non saluos praestabit:

Praecipe haec et doce. Nemo tuam iuuentutem despiciat. Sed esto exemplar fidelium, in sermone, inconuersione, incharitate, in spiritu, in fide, in castitate. Donec venio attende lectioni, exhortationi, doctrinae. Ne donum, quod in te est, negligas: quod tibi datum est per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Haec cura, in his esto: vt profectus tuus in omnibus manifestus fiat. Attendetibi ipsi et doctrinae. Permane in his. Hoc enim si feceris, et teipsum seruabis, et eos qui te audiunt.

645 Praecipe haec.) Intelligit eius generis esse doctrinam, cuius nullum debeat esse fastidium, etiam si quotidie audiatur. Nam et alia docenda sunt. Sed emphasin habet demonstratiuum haec: quia significat, non esse res leuis momenti, quas semel quasi transeundo attingisse sufficiat: sed potius quotidiana repetitione dignas esse, quia non possint nimium inculcari. Prudentem itaque pastorem decet expendere, quae maxime
660 sunt necessaria vt illis insistat. Nec est quod vereatur fastidium. Nam quisquis Dei est, libenter identidem audiet, quae toties dicere expedit.

Nemo tuam iuuentutem.) Hoc dicit, tam aliorum respectu, quam ipsius Timothei. Quantum ad alios, non vult Timothei aetatem esse obstaculo, quominus eam, quam meretur, reuerentiam obtineat: modo se alias ita gerat, vt decet Christi ministrum. Et
665 simul ipsum Timotheum admonet, vt quod deest aetati, compenset grauitate morum. Aesi dixisset: Fac vt morum grauitate, tantum reuerentiae tibi concilies, ne quid aetas tua iuuenilis, quae alioqui contemptui obnoxia esse solet, de tua autoritate minuat. Vnde agnoscimus, et

CAPVT IIII.

iuuenem adhuc fuisse Timotheum, qui tamen inter multos pastores longe eminebat: et
660 perperauit eos facere, qui annorum numero metiuntur, quantum homini debeant. Porro quae vera sint decora, mox praescribit. Non externae scilicet laruae: vt sunt lituus, infulae, annulus, pallium, et eiusmodi ineptiae, aut puerorum crepundia: sed doctrinae sanitas et sanctitas vitae. Sermone et conuersione cum dicit, hoc perinde valet, aesi dixisset, dictis et factis adeoque tota vita. Quae sequuntur, partes sunt piae conuersionis: charitas,
665 spiritus, fides, etc. Nomine ipiritus intelligo feruorem zeli Dei. Si quis tamen generalius malit accipere, non repugno. Castitas non tantum libidini opponitur, sed puritatem totius vitae significat. Hinc discimus, ineptos esse, et ridiculos, qui nihil honoris sibi exhiberi conqueruntur, cum nihil habeant laude dignum: sed potius contemptui se exponant, tum sua inscitia, tum impuro vitae exemplo, aut leuitate, aut aliis sor dibus. Vnica enim haec
670 via est comparandae reuerentiae, si virtutum praestantia nos a contemptu vindicemus.

Donec venio.) Nouerat Timothei diligentiam. Et tamen illi commendat assiduam Scripturae lectionem. Quid enim alios docebunt pastores, nisi discendo sint intenti? Quod si tantus vir admonetur, vt proficere in dies studeat: quanto magis in nos competit ista admonitio? Vae igitur eorum socordiae, qui Spiritus oracula non reuoluunt dies et
675 noctes, vt inde instruantur ad munus suum exercendum. Caeterum ne ociosa lectio sufficere credatur, simul ostendit, in vsum esse explicandam: cum doctrinae et exhortationi instare praecipit. Acsi praecipe ret ipsum discere, quod aliis communicaret. Notandus etiam est hic ordo, quod lectionem doctrinae et exhortationi praeponit. Nam certe fons

[p.53]

omnis sapientiae est Scriptura, vnde haurire debent pastores quidquid proferunt apud
680 gregem.

Ne donum quod in te est.) Hortatur, vt in Ecclesiae aedificationem conferat gratiam
qua praeditus est. Neque enim perirevult Dominus talenta, aut inutiliter sub terra defodi,
quae apud vnumquemque depo sunt, vt lucrum afferant. Negligere donum, est neglectim
suppressum habere per desidiam, ita vt, quasi rubigine contracta, nullo vsu, deteratur.
685 Ergo consyderet quisque nostrum quid facultatis habeat: vt id sedulo, in vsum applicet.
Dicit gratiam illi collatam esse, per prophetiam. Quomodo? Quia seilicet, vt ante
diximus, Spiritussanctus oraculo Timotheum destinauerat, vt in ordinem pastorum
cooptaretur. Neque enim delectus tantum fuerat hominum iudicio, vt fieri solet: sed
praecesserat spiritus nuncupatio. Dicit collatam esse, cuui impositione manuum. Quo
690 significat, vna cum ministerio, necessariis etiam dotibus ornatum fuisse. Vsitatum fuit ac
solenne Apostolis, mi nistros per impositionem manuummordinare. Ac de hoc quidem
ritus

I. TIMOTH.

[p.54]

eiusque origine et significatione aliquid prius attigi: et reliqua ex Institurione petere
licet. Presbyterium qui hic collectium nomen esse putant, pro collegio presbyterorum
695 positum, recte sentiunt, meo iudicio. Tametsi oninibus expensis, diuersum sensum
non male quadrare fateor: vt sit nomen officii. Ceremoniam pro ipso actu ordina-
tionis posuir. Itaque sensus est, Timotheum, cum Prophetarum voce ascitus fuit in
ministerium, et deinde solenni ritu ordinatus, simul gratia Spiritussancti instructum
fuisse ad functionem suam exequen dam. Vnde colligimus, non inanem fuisse ritum:
700 quia consecrationem, quam homines impositione manuum figurabant, Deus Spiritu suo
impleuit.

Haec cura.) Qua plus est difficultatis in fideli Ecclesiae administratione, eo magis
instare sibi debet pastor, neruósque omnes intendere, idque non ad exiguum modo tempus:
sed perseueranter. Ergo admoner Paulus, non esse locum oscitantix vel remissioni: sed
705 requiri summam diligentiam et assiduitatem. Cum addit, vt profectus tuus apparear:
significat, in hoc esse elaborandum, vt per eius manum magis ac magis promoueatur
Ecclesiae aedificatio: atque dignum operaeprecium extet. Est enim non vnus diei opus.
Quare ad quotidianos progressus enitendum est. Alii referunt ad Timothei personam
vt in melius proficiat. Sed malo de ministerii effectu interpretari. In omnibus, tam
710 masculinum esse potest, quam neutrum. Ita duplex erit sensus vel, vt omnes perspiciant,
quae ex eius laboribus prouenient, increuenta: vel, vt omni ex parte, aut modis omnibus,
quod idem est, se ostendant.

Attende tibi ipsi.) Duo sunt curanda bono pastori: vt docendo inuigilet, ac seipsum
purum custodiat. Neque enim satis est, si vitam suam componat ad omnem honestatem,
715 sibi que cauear, ne quod edat malum exemplum, nisi assiduum docendi studium adiungat
sanctae vitae. Et parum valebit doctrina, si non respondeat vitae honestas et sanctitas.
Non ergo abs re Paulus Timotheum incitat, vt tani sibi attendat quam doctrinae. Et rursus
commendat illi constan tiam, ne vnquam defatigetur. Multa enim identidem accidunt,
quae possint nos abducere a recto cursu: nisi fixo pede fortiter stemus ad resistendum.

720 Hoc si feceris.) Hie non leuis est stimulus ad excítandam pastorum sollicitudinem,

eum audiunt suam et populi salutem in eo consistere, si muneri suo gnauiter et continenter incumbant. Nec absurdum videri debet, quod Timotheo has partes assignat, saluandae Ecclesiae. Nam certe quidquid Deo acquiritur, saluum est. Praedicatione autem Euangelii colligimur ad Christum. Et sicuti pastoris infidelitas aut negligentia Ecclesiae est exitialis:
725 ita merito fidei et dili

CAPVT. V.

[p.55]

gentiae adscribitur salutis causa. Solus quidem Deus saluat. Cuius gloriae ne minimam quidem portionem ad homines transferri, fat est. Sed nihil gloriae suae Deus derogat, eum ad salutem administrandam vtitur hominum opera. Dei ergo solius beneficium est salus nostra quia et ab ipso solo est, et sola eius virtute peragitur. Ideoque illi tanquam vnico auctori ferenda est accepta, Sed non excluditur propte rea hominum ministerium: 730 nec id totum obstat, quin salutare sit regimen illud, quo constare Ecclesiae integritatem alibi Paulus docet 4. ad Ephes.cap. Quinetiam et hoc quoque in solidum Dei est opus. Quia et ipse est, qui format bonos Pastores, et agit suo Spiritu, et eorum labori ne irritus sit, benedicit. Quod si suis auditoribus saluti est bonus Pastor:sciant mali et ignaui, 735 eorum quibus praesunt. imputandum sibi esse exitium. Nam sicuti gregis salus pastoris est corona: ita quidquid perierit, ab ignaui pastoribus, reposcetur. Seruare autem se pastor dicitur, cum fideliter munus sibi iniunctum exequendo, vocationi suae seruit. Non modo quia horrendam illam vltionem effugit, quam Dominus per Ezechielem minatur: sanguinem de manu tua reposcam: sed quia illud vsitatum est, salutem suam fideles 740 peragere, cum in cursu salutis suae pergunt: de qua locutione diximus in secundum ad Philip. cap.

CAPVT. V.

SENIOREM ne aspere obiurges: sed hortare vt patrem, iuniores vt fratres, mulieres natu grandiores vt matres, iuniores vt sorores cum omni castitate. Viduas honora, quae vere sunt viduae. Porro si qua vidua liberos aut nepotes habet, discant primùm Doceit propriam domum pie tractare, et mutuuum rependere progenitoribus. Hoc enim acceptum est coram Deo.

Nunc lenitatem et moderationem Timotheo commendat in corrigendis vitiis. Medicina est correctio, quae semper amari aliquid habet, ideoque minus adlubescit. Deinde quia iuuenis erat Timotheus, minus tolerabilis fuisset eius seueritas, nisi admodum temperata. Praecipit ergo, vt maiores natu reprehendat, tanquam parentes. Imo vtitur mitiore 5 verbo hortandi scilicet. Fieri autem nequit, quin reuerentia tangamur, vbi representamus nobis ob oculos Patris vel

mg |

I. TIMOTH.

[p.56]

matris personam. Ita fit, vt in locum durioris vehementiae mox succedat modestia. Notandum tamen, quod non ita parci vult senibus aut indulgeri, vnimpune et sine correctione peccent: tantum vult eorum aetati haberi monnihil honoris, quo aequiore
 10 animo se admoneri sinant. Quinetiam, in minori aetate vult moderationem adhiberi: tametsi non aequali modo. Semper enim oleo teniperandum est acetum. Sed hoc interest, quod maioribus deferenda est reuerentia: aequales fraterna mansuetudine excipi debent. Hinc admonentur Pastores, non muneris tantum habendam esse rationem, sed peculiariter etiam videndum esse singulis, quid aetatem suam deceat. Neque enim eadem omnibus
 15 conueniunt. Veniat ergo illud in mentem: si decorum seruant in scena histriones, non esse pastoribus in tam excelso loco negligendum. Paricula, cum omni castitate, ad iuniores pertinet. Namin illa aetate semper timenda est omnis suspitio. Neque tamen vetat Paulus, ne quid Timotheus agat libidinose, aut ne lascuiat cum iuuenulis. Hac enim prohibitione non fuit opus. Sed tantam praecipit cauendum, ne improbis detur obloquendi
 20 ansa. Quod vt fiat, requirit castam grauitatem, quae reluceat in omni congressu et colloquio: quo liberius cum iuuenibus communicet, absque vlla sinistra fama.

Viduas honora.) Honoris nomen hoc loco, non quanuis obseruantiam significat, sed peculiarem curam quam suscipiebant episcopi in veteri Ecclesia. Recipiebantur enim viduae in Ecclesiae fidem, vt ex publico alerentur. Tantundem ergo valet haec locutio, ac
 25 si dixisset: In eligendis viduis, quae sint sub tua et diaconorum cura, earum tibi habenda est rario, quae vere sunt vidux. Qualis autem fuerit earum conditio, fusius deinde tractabimus. Hse tamen notanda est ratio, eur Paulus non adnuittar inisi prorsus viduas et orbas simul, quae sobole sint destitutae. Namca conditione se Ecclesiae addicebant, vt abdicarent se omni priuata familiae cura: et omnia impedimenta abiicerent. Proinde
 30 merito Paulus, matresfamilias recipi prohibet. Cum nominat vere viduas, allusio est ad nomen Graecum: quod est πο το κορωοτα. Quod est destitui et priuari. DR

Si qua vidua.) Varie exponitur hie locus. Inde autem nascitur ambiguitas, quod posterius membrum tam ad viduas, referri porest, quam ad earum liberos. Nec obstat, quod verbum, discant, est plurale: cum de vidua locutus sit Paulus in numero singulari.
 35 Numeri enim mutatio satis vsitata est in oratione indefinita: hoc est, vbi de toto genere, non de indiuiduo, tractatur. Qui de viduis accipiunc, hunc pucant esse sensum: Discant pia familiae administra tione bene ficium educationis, quod a maioribus acceperunt, erga

CAPVT V.

[p.57]

minores repende re. Ita Chrysostomus, et alii quidam. Simplicius tamen aliis videtur de liberis et nepotibus accipere. Matremi itaque eorum iudicio, aut auiam, materiam
 40 esse docet, in qua exercent suam pietatem. Nihil enim magis est naturale, quam ντιπολαργια. Quare minime aequum est, eam ab Ecclesia impediri. Prius ergo quam oneretur Ecclesia, faciant illi suum officium. Hactenus retuli, quid alii sentiant. Velim tamen lectores expendere, an non aprior sit ista translatio: doceant pie se domi gerere. Nam μαντάναν, vtrunque significat, docere et discere. Porro verbum ευσεβ ν, adiuue
 45 omnes fere accipiunt, quia sequitur accusatiuus. Verum illa ratio non cogit: quia Graecis familiare est subaudire praepositionem. Apte igitur contextui quadraret haec expositio: Doceant matronae liberos aut nepores, pietatem erga familiam exercere, ac mutuam

yicem rependere maioribus.

Hoc enim acceptum.) Monstrum esse fatentur omnes, si quis ingratum se maioribus
 50 praebeat. Id enim dictat sensus naturae. Nec modo ingenita est omnibus haec persuasio:
 secundum pietatis gradum esse erga parentes: sed ipsae quoque Ciconiae gratitudinem
 suo exemplo nos docent. Vnde et nomen $\nu\tau\iota\pi\alpha\lambda\alpha\gamma\rho\acute{\iota}\alpha\varsigma$. Verùni Paulus eo non
 contentus, idem a Deo sancitum esse pronunciat. Ac si diceret: Non est quod putet
 quispiam, id natum esse ex hominum opinione: sed Deus ita ordinavit.

*Porro quae vere vidua est ac desolata, sperat in Deo, et perseuerat in orationibus et
 obsecrationibus noctu et die. Quae autem in delitus versatur, viuens mortua est. Et
 haec praecipe, vt irreprehen sibles sint. Quod si quis suis, et maxime familiaribus non
 prouidet, fidem abnegauit: et est infideli deterior.*

55 Quae vidua est ac desolata. Explicatius quam antea, loqui tur: quia vere eas demum
 viduas esse docet, quae solitariae sint, et familia orbatae. Tales in Domino sperare
 dicit: non quod omnes id faciant, vel solae. Plerasque enim viduas cernere licet orbas ac
 ont ni cognatione destitutas, quae tamen et superbae sunt et proteruae, et tam animo quam
 vita prorsus impiae. Et qui progenie abundant, non impediuntur quominus spem habeant
 60 in Deo reposiram. Vt Iob, et Iacob, et Dauid. Alioqui maledicta esset $\pi\omicron\lambda\upsilon\tau\epsilon\alpha\upsilon\acute{\iota}\ \alpha$,
 quam scriptura passint inter eximias Dei benedictiones recenset. Verum

I. TIMOTH.

[p.58]

Paulus hoc loco viduas in Deo sperare dicit, quemadmodum septimo prioris ad Corinthios
 capite scribit, coelibes tantum studere, vt Deo placeant: quia non sint instar coniugatorum
 diuisi. Sensus est igitur: nullo eas auocamento distrahi, quin respiciant in solum Deum:
 65 quia in mundo nihil reperiunt, quo fulciantur. Hoc argumento ipsas commendat. Nam
 vbi deficient humanae opes omniaque praesidia, Ecclesiae officium est manum porrigere
 ad opem ferendam.

Perseuerat in orationibus.) Secundum argumentum commendationis: quia assidue
 precibus incumbunt. Vnde sequitur, iuandas esse, ac sustentandas Ecclesiae impensis.
 70 Interea his duabus notis discernit inter dignas et indignas. Perinde enim valent haec verba,
 ac si tantum eas recipi praeciperet, quae nihil expectant opis ab hominibus, sed pendent
 a solo Deo: et depositis aliis curis et occupationibus, intentae sunt ad precandum. Alias
 minime idoneas esse aut commodas. Haec quoque precandi assiduitas requirit ab aliis
 curis vacationem. Nam quae circa familiam regendam occupantur, minus habent libertatis
 75 et ocii. Omnes quidem iubemur assiduè orare. Sed videndum, quid ferat vnus cuiusque
 conditio, dum ad orandum secessus quaeritur, et ab omnibus aliis negociis immunitas.
 Quod in viduis laudar Paulus, Lucas de Hanna filia Phanaelis praedicat. Atqui non
 idem omnibus conueniret: quia diuersa esset vitae ratio. Erunt ineptae muliereulae,
 Hannae simiae, magis quam imitatrices, quae circum altaria cursitabant, et vsque ad
 80 meridiem susurris suis ac murmuribus dabunt operam. Hoc praetextu ab omnibus
 domesticis molestiis se eximent. Reuertae domum, nisi omnia ad nutum composita
 offenderint, insanis clamoribus exagitabant totam familiam, prosilient interdum ad
 verbera. Meminerimus ergo, viduis et orbis non fine causa hoc quasi proprium tribui,
 vacare dies et nostes precibus, quia solutae sunt a iustis impedimentis, quae non idem

85 permitterent familiam regentibus. Neque tamen monachis aut monialibus suffragatur
 haec sententia, qui murmura sua vel boatus ita vendunt, vt ociosi alantur. Quales olim
 fuerunt υχοται, vel Psalliani. Nihil enim ab Euchitis differunt monachi et sacrifici
 papales, nisi quod illi, continenter precando, solos se pios ac sanctos putabant: hi aurem
 90 sed tantum indicare voluit, quanto liberius vacare queant precibus, quae nihil aliunde
 habent distractionis.

Quae autem in delitiis.) Postquam sua nota veras vidux insigniuit, nunc alias opponit,
 quae reiiciendae sint. Participium, quo vtitur οπαταλωσα, significat eam, quae sibi
 indulget, moliterque ac delicate viuuit. Quare eas, meo iudicio, taxat Paulus,

CAPVT V.

[p.59]

95 quae viduitate sua in hoc abutuntur, vt solutae iugo maritali, et omni molestia vacuae,
 suauem in ocio vitam degant. Multas enim videmus libertati suae consulere et commodi-
 tati, seque nimium hilariter tractare. Tales Paulus viuendo mortuas esse pronunciat.
 Quod aliqui de infidelitate intelligunt:cui opinioni minime assentior. Mortuam enim
 100 congruentius dici puto, quae inutilis sit ac nihili. Quorsum enim viuimus, nisi vt frugi sit
 nostra opera? Et quid, si esset emphasis in participio, viuens? Nam qui desidem vitam
 appetunt, que viuant commodius: habent illud in ore dicterium: Non est viuere. sed
 valere vita. Ita sensus esset :si bearae sibi videntur, dum agunt ex animi sui voto, atque
 hanc demum vitam reputant, in quiete delitiarisego mortuas esse pronuncio. Quia ramen
 sensus hic nimium forte argutus esset: tantum volui obiter attingere, nihil asserens. Cer-
 105 tum quidem est, ignauiam hic damnari a Paulo,vt mortuas vocet, quae nulli sunt vsui.

Et haecpraecipę Significat, non tantum se praescribere Timotheo quid sequi debeat:
 sed diligenter admonendas esse ipsas mulieres, ne eiusmodi viriis laborent. Neque
 enim se tantum pastor opponere debet prauis studiis aut ambitioni eorum qui se praeter
 rationem ingerunt: sed doctrina et continuis admonitionibus omnia pericula, quantum in
 110 se est, praeuenire.

Quod si quis.) Erasmus transtulit in foeminino genere. Mihi generalis sententia
 magis probatur. Solet enim Paulus, etiam cum aliquod particulare argumentum tractat,
 probationes ex generalibus principiis afferre: et rursus elicere ex particularibus sententiis
 vniuersalem doctrinam. Et certe plus habebit hoc ponderis, si conueniat tam viris,
 115 quam mulieribus. Dicit ergo eos fidem abnegasse, qui suos omnes, maximeque domum
 propriam non curant. Et merito. Nulla enim in Deum est pietas, vbi quis ita humanitatis
 sensum exuere potest. An fides, quae filios Dei nos facit, deteriores redderet brutis
 pecudibus? Manifestus ergo Dei contemptus est talis inhumanitas, et fidei abnegatio.
 Necdum eo contentus Paulus crimen exaggerat, dicens, infideli esse peiorem, qui suorum
 120 obliuiscitur. Quod duabus de causis verum est. Nam quo plus quisque in cognitione
 Dei profecit, ed minus habet excusationis. Ergo infide libus sunt peiores, qui in clara
 Dei luce caecutiunt. Deinde hoc genus officii est, quod natura ipsa dictat. Sunt enim
 125 στοργαι βυσικα. Quod si natura duce infideles vltro propensi sunt ad suos amandos:
 quid de iis sentiendum, qui nullo tali affectu tangunturt Nonne impios ipsos feritate
 superant? Quaeritur autem, cur domesticos filiis ipsis praeferat Apostolus. Respondeo,
 cum suos, et maxime domesticos nominat, vtroque loco de filiis et nepotibus ipsum

loqui. Nam vtcunque

I. TIMOTH.

[p.60]

emancipati sint liberi, aut in alienam familiam per coniugium transierint, aut quouis modo emigrarint ex aedibus parentum: nunquam tamen prorsus extinguatur ius naturae, quin debeant maiores natu tanquam sibi a Deo commissos, regere, aut saltem consulere, quoad possunt. In domesticis autem arctior est obligatio. Nam eos duplici nomine curare debent, eo quod ipsorum sunt sanguis, et simul pars familiae cui praesunt.

Vidua deligatur non minor annis sexaginta quae fuerit vnus viri vxor, in operibus bonis habens testimonium, si liberos educauit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lauit, si afflictis subministravit, si in omni bono opere fuit assidua. Porro iuniores viduas reiice. Cum enim lasciuere coeperint aduersus Christum, nubere volunt, habentes condemnationem, quod primam fidem reiecerint. Simul autem et ociosae discunt circuiredomos: nec folium ociosae, verum etiam garrulae et curiosae, loquentes quae non oportet.

Vidua deligatur.) Iterum quales viduae recipiendae sint in Ecclesiae curam, ostendit: et quidem explicatius, quam antea. Ac primo aetatem designat, sexaginta annos. Nam quia publicis sumptibus alebantur: decebat iam senio confectas esse. Deinde erat altera etiamnum validior ratio. Nam se in ministerium Ecclesiae consecrabant. Quod minime ferendum erat, si adhuc ad coniugium ido neae fuissent. Ea conditione recipiebantur, vt eorum inopiae subueniret Ecclesia: et suam interim operam pauperibus impenderent, quoad patiebatur valetudo. Ita mutua erat obligatio inter ipsas et Ecclesiam. Robustiores, et quae per aetatem adhuc erant vegetae, iniquum erat aliis esse oneri. Praeterea timendum erat, ne mutato animi proposito, ad nouas nuptias adspirarent. Hae sunt duae causae, cur non velit, nisi sexagenarias recipi. Quoad nubendi cupiditatem, satis occursum est periculo, vbi annum sexagesimum excessit mulier. Si praesertim vnum duntaxat maritum tota vita experta fuerit. Est enim quoddam veluti pignus continentiae et pudoris, cum mulier ad eam vsque aetatem peruenit vnico marito contenta. Non quod secundum coniugium improbet aut ignominiae notam aspergat bis nuptis. Quin potius iuniores viduas ad nubendum hortatur. Sed

CAPVT V.

[p.61]

quia solícite cauere voluit: ne vllis necessitatem imponeret coelibatus, quae maritis opus haberent. Qua de re mox plura.

In operibus bonis.) Quae sequuntur dotes, partim ad honorem, partim ad onus respiciunt. Non dubium est, quin fuerint honesta viduarum collegia, plenaque dignationis. Ideo non vult Paulus illuc cooptari, nisi quae ornatae sint egregio testimonio totius antea vitae. Iam non ad segne et ignauium ocium destinabantur: sed vt pauperibus et aegrotis ministrarent, donec viribus defectae, tanquam emeritae quiescerent. Itaque vt ad obeundam functionem sint aptiores, in officiis omnibus, quae sunt illius propria, longo vsu exercitatae esse vult. Qualia sunt, labor et sedulitas in liberis educandis, hospitalitas, ministeria erga pauperes, et reliqua beneficentiae opera. Si quis hic interroget: Ergo ne

repudiabuntur omnes steriles, quia nullos vnquam liberos sustulerint? respondendum, non ste rilitatem hic damnari a Paulo, sed matrum delitias, quae sobolis alendae taedia
 160 deuorare dum recusant, satis ostendunt se minus officiosas fore erga extraneos. Et simul hanc piis matronis honorariam mercedem pro ponit, quae sibi non pepercerint, vt vicissim aetas earum senilis Ecclesiae gremio fouenda excipiatur. Per lotionem pedum, synecdochicons obsequia intelligit, quae sanctis praestari solent. Moris enim tunc erat pedes lauare. Hoc officii genus in speciem sordidum et prope seruile videri poterat.
 165 Itaque hac quasi nota insignit sedulas et minime delicatas aut molles foeminas. Quod proxime sequitur, ad liberalitatem pertinet. Atque idem postremo generalius exprimit, cum dicit, si in bono opere fuit assidua. Nam hic de beneficentia loquitur.

Iuniores viduas reiice.) Non iubet excommunicari ab Ecclesia, aut aliqua ignominia notari. Sed tantum in illo honore, cuius supra meminit, impertiendo, habendam esse
 170 earum rationem ne gat. Quod si Dei Spiritus per os Pauli mulierem nullam sexagenaria minorem ordine illo dignam esse pronunciat: quod in illa aeta te periculosus sit coelibatus: cuius audaciae fuit legem perpetui coelibatus iuuenulis, in summo aetatis feruore, postea imponere? Non admittit, inquam, coelibatum Paulus, nisi in aetate iam effoeta, et quae perieulum omne incontinentiae iam euasit. In velandis virginibus ad quadraginta deinde
 175 annos ventum est, postea ad triginta. Tandem promiscue, sine vlla exceptione aetatis, velare omnes coeperunt. Obtundunt, continentiam virginibus quae nunquam virum expertae sunt, multo faciliorem esse quam viduis. Sed non efficient, quin timendum sit periculum, quod hic Paulus cauet, ac cauendum prae cipit. Temere itaque adeoque crudeliter laqueum iniiciunt teneris adhuc puellis, quae coniugio futurae erant aptiores.

I. TIMOTH.

Cum enim lasciuire.) Lasciuire eas aduersus Christum dieit, quae conditionis ad quam
 180 vocatae sunt oblitae, hilarius, quam decet, exultant. Debuerant enim se continere sub modestiae iugo: vt grauibus matronis dignum est. Proinde niollior et solutior vita, quasi lasciuia est aduersus Christum, cui fidem suam obstrinxerant. Quoniam aliquot eiusmodi exempla viderat Paulus: generali remedio occurrit: ne qua recipiatur, quam
 185 aetatis ratio vnquam sollicitare possit ad nubendi appetitum. Quot flagitiorum monstra quotidie in papatu coactus ille monialium coelibatus parit? Quae claustra non refringit libido? Ergo etiam si res initio placuisset: tot tamen atque tam grauibus experimentis edocti, aliquando Pauli consilio obtemperare debuerant. Atqui hoc adeo non faciunt, vt in dies magis ac magis iram Dei sua obstinatione prouocent. Nec de solis monialibus
 190 loquor. Ad perpetuum coelibatum sacerdotes quoque et monachos cogunt. Ebulliunt interea foedae libidines, vt vix decimus quisque caste se habeat. In monasteriis autem minimum malorum est vulgaris scortatio. Si Deum per os Pauli loquentem audire in animum inducerent: mox confugerent ad hoc remedium, quod praescribit. Sed tanta est superbia, vt furiose persequantur, quicumque huc eos reuocant. Aliqui particulam,
 195 aduersus Christum, coniungunt cum verbo nubendi. Quanquam autem ad Pauli memtem non multum refert: prior tamen sensus est probabilior.

Habentes condemnationem.) Habere damnationem aliqui expo nunt, reprehensionem mereri. Ego tamen seuerius dictum accipio. vt aeternae mortis damnatione eas terreat Paulus. Ac si hoc ipsum reprehenderet Paulus, eximium illum ordinem, qui eas propius

[p.62]

200 Chri sto vnire debuerat, illis damnationis esse materiam. Et ratio additur, quia a fide bap-
 tismi et Christianismo prorsus deficiant. Scio ab aliis secus intelligi. Nempe quod fallant
 datam Ecclesiae fidem nubendo: cum prius essent pollicitae, se ad mortem vsque coelibes
 victuras. Quod nimis est frigidum. Deinde, cur vocaret primam fidem? Vehemetius
 205 itaque insurgit Paulus, et mali grauitatem amplificat, quod non tantum ignomi nia Chris-
 tum et Ecclesiam afficerent resiliendo a suscepta conditione, sed primam quoque fidem
 impia defectione fallerent. Ita enim fieri solet, vt qui semel pudoris fines transiit, ad
 omnem impudentiam se prostituat. Male eas habebat, probrosam esse suam leuitatem
 apud pios, et suam salacitatem reprimi, aut saltem vituperationi esse obnoxiam. Haec
 illis proteruius exultandi erat occasio, donec Christianismum abiicerent. Optime quadrat
 210 ista amplificatio. Quid enim magis absurdum, quam dum volumus personis consulere,
 ianuam aperire Christi abnegationit Quod votum perpetui coelibatus hinc stabilite volunt
 Papiste,

CAPVT V.

[p.63]

friuolum est. Vt demus, solitant fuisse disertis verbis interponi talem pactionem id tamen
 nihil ad ipsos. Primum consyderandus est finis. Non ideo coelibes se fore promittebant
 215 olim viduae, vt sanctiorem agerent vitam, quam in coniugio. Sed quod non poterant
 maritis et Ecclesiae simul esse addictae. Sub Papatu autem vouetur continentia, quasi
 virtus per se accepta esset Deo. Deinde ea aetate se abdicabant tunc nubendi libertate,
 qua desierant esse nubiles. Sexagenarias enim ad minimum esse oportebat: et quae
 vnico matrimonio conten tae, specimen iam castitatis suae dedissent. Nunc autem vota
 220 in hoc eduntur apud Papistas, vt coniugiis, vel ante tempus, vel in medio aetatis feruore,
 renuncient. Duabus autem maxime de causis tyrannicam de coelibatu legem improbamus
 quod scilicet cultum esse fin gunt coram Deo meritorium: et quod vouendi temeritate
 praecipitant animas in exitium. Neutrum erat in veteri instituto. Non edebant directum
 continentiae votum: quasi minus Deo placeret vita coniugalis: sed tantum, quatenus
 225 exigebat functio ad quam eligeban tur, coniugii vinculo se in totam vitam soluebant.
 Nec se priuabant nubendi libertate, nisi cum nubere, vel maxime liberis, iam absurdum
 erat, et intempestiuum. Denique tantum a monialibus differebant istae viduae, quantum
 Hanna prophetissa a Claudia vestali.

Simul et ociosae.) Nihil est, quod mulieres magis deceat, quam domus custodia.
 230 Vnde apud veteres, Testudo honestae et probae⁴ matrisfamilias imago fuit. Atqui multae
 contrario morbo laborant. Nihil enim est, quod magis eas delectet, quam huc illuc cursi-
 tandi licentia. Praesertim vbi exoneratae familia, nihil habent domi quod agant. Adde
 quod istis viduis, honoris praetextu, quod veluti publicam personam gerebant, facilius
 quouis aditus parebat. Hanc opportunitatem nactae, beneficio Ecclesiae abutebantur ad
 235 desidiam. Deinde, vt fieri solet, ex ocio nascebatur curiositas: quae ipsa garrulitatis est
 mater. Verissimum enim est illud Horatii: Percontatorem fugito: nam garrulus idem est.
 Omni enim fide curiosos, vt inquit Plutarchus, carere aequum est: qui simul atque aliquid
 hauserunt, nunquam cessant, donec effutiuerint. Praesertim mulieribus hoc contingit,
 quae natura iam propensae sunt ad loquacitatem, nulliusque arcani capaces. Ergo non
 240 abs re haec tria simul coniuncta sunt a Paulo: ocium, curiositas, et garrulitas.

Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare aduersario, vt habeat maledicendi causam. Nonnullae enim iam deflexerunt post Sathanam. Quod

I. TIMOTH.

[p.64]

Volo iuniores nubere.) Rident nasuti homines hoc Apostoli praeceptum. Quasi verò, inquit, calcar addendum sit nimis citatae earum cupiditati. Quis enim nescit omnes fere viduas sponte nupturire? Superstitiosi autem homines iudicarent hanc nuptialem doctrinam Christi Apostolo parum congruere. Verum, omnibus rite expensis, agnoscent
 245 sani homines, Paulum nihil hic, nisi necessarium, et maxime salutare tradere. Nam et viduitas multis liberius proteruendi dat facultatem: et ab altera parte subinde emergunt spiritus in hypocrisi mentientes, qui sanctimoniam constituunt in coelibatu: quasi angelica esset perfectio: matrimonium vero, aut dannant in totum, aut vilipendunt, acsi carnis inquinamentum saperet. Pauci sunt, tam ex viris, quam mulieribus, qui vocationem suam respiciant. Quotusquisque est virorum, qui onus regendae vxoris libenter suscipiat? Quia scilicet res est innumeris molestiis implicata. Quam aegre iugum subit mulier? Paulus ergo, cum iuniores nubere iubet, non ad nuptialem laetitiam eas inuitat: nec hortatur vt libidini indulgeant, cum iubet eas liberos gignere: fed dum sexus infirmitatem, et aetatem lubricam reputat, eas ad castum coniugium hortatur: et simul
 255 ad subeunda sandi coniugii onera. Atque id praesertim facit, ne contumeliosa videatur ipsarum reiectio ab ordine viduarum. Significat enim, earum vitam non minus Deo probatum iri, si oeconomiae dent operam, quam si in viduitate maneant. Et sane, Deus superstitiosas hominum opiniones nihil moratur: sed hanc obedientiam pluris aestimat quam omnia, vbi suae vocationi obsequimur potius, quam ferri nos sinamus animi nostri voto. Hac consolatione audita, nihil habent causae, cur conquerantur sibi fieri iniuriam, aut moleste ferant, se excludi vno genere honoris. Audiunt enim in vita coniugali non minus se placere Deo, quia eius vocationi pareant. Cum de liberis gignendis loquitur, molestias omnes sub vno verbo comprehendit, quae perferendae sunt in educanda sobole. Quemadmodum, sub familiae gubernatione, omnia oeconomiae officia.

260 Nullam occasionem dare.) Nam sicuti maritus vxoris quasi velamen est: ita viduitas multis sinistris superstitionibus est obnoxia. Quorsum autem attinet, nulla necessitate calumniis armare Euangelii hostes? Atqui difficilimum est, mulierem viduam, florenti aetate, tam circumspecte sibi cauere, quin reperiant improbi, aliquem obloquendi colorem. Proinde si illis est cordi aedificatio, vt maledicis

CAPVT V.

[p.65]

270 hominibus os obstruant, genus vitae eligant minus suspitiosum. Com munes hic Euangelii aduersarios potius intelligo, quam priuatos cu iusque mulieris.

Nonnullae enim.) Certum est, nullum esse tam sanctum institutum, ex quo non aliquid prodeat mali, hominum prauitate. Verum quae necessaria sunt, debent fixa manere, quidquid inde contingat: etiam si coelum rueret. At vbi liberum est, vtramvis
 275 partem eligere: prout hoc vel illud esse vtile, experientia compertum fuerit, etiam quae ante placuerant, abrogare, prudentiae est. Sicuti ircausa praesenti. Minus proeuctae

aetatis mulieres in ordinem viduarum allegi, nihil necesse erat. Vsus docebat, rem esse periculosam et noxiam. Merito itaque Paulus in posterum cauere vult, ne quid tale contingat. Quod si quarundam defectio satis validum illi argumentum fuit, vt remedium
 280 vniuersale quaereret: quam multa hodie Papistis argumenta essent abolendi impuri sui coelibatus, si quem aedificationis haberent respectum? Sed crudelibus impii ac Diabolici decreti laqueis malunt strangulari innumeras animarum myriades, quam nodum vnum laxare. Vnde constat, quam aliena sit a sancto Pauli affectu tyrannica eorum saeuitia.

Post sathanam.) Notanda locutio: quia nemo vel tantillum potest a Christo deflectere, quin Sathanam sequatur. Nam regnum in omnes habet qui Christi non sunt. Hinc
 285 admonemur, quam exitialis sit deflexio a recto cursu.

Si quis fidelis.) Quia fieri solet, vt singuli propriae onera libenter reiiciant in totam Ecclesiam: ideo nominatim id cauendum praecipit. De fidelibus loquitur, qui suas viduas alere debeant. Nam quae impiae cognationi renunciauerant, eas ab Ecclesia suscipi,
 290 aequum erat. Quod si peccant, qui dum sibi pareunt, Ecclesiam patiuntur sumptibus grauari: hinc colligamus, quanto sacrilegio se implicent, qui fraude aut rapinis profanant, quod semel dicatum erat Ecclesiae.

Presbyteri, qui bene praesunt, duplici honore digni habeantur. Maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura: Non obligabis os boui trituranti. Et, Dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusationem ne admittas, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue: vt et caeteri timorem habeant. Contestor coram Deo, et Domino Iesu

I. TIMOTH.

Christo, et electis Angelis, vt haec custodias absque praecipitatione iudicii, nihil faciens alteram in partem declinando.

Hoc quoque ad retinendum Ecclesiae ordinem in primis est necessarium: non negligi
 295 presbyteros, sed eorum haberi rationem. Quid enim inhumanius, quam eos non esse curae, qui totius Ecclesiae curam gerunt? Neque enim hic aetatis nomen est πρεσβύτεροι. sed officii. Quod duplicem honorem interpretatur Chrysostomus victum et reuerentiam, non impugno. Sequatur eius opinionem, qui volet. Mihi tamen probabilius videtur,
 300 hic fieri comparationem inter viduas et presbyteros. Prius iusserat Paulus, honorem haberi viduis. Atqui honore digniores sunt presbyteri, quam illae. Quare his duplex honor, earum respectu, exhibendus. Sed vt ostendat, se laruas non commendare, addit, Qui bene praesunt: hoc est, qui fideliter et strenue incumbunt suo muneri. Nam vt centies quis locum obtineat, et titulum iactet, nisi munus simul exerceat, nullo iure
 305 stipendiis Ecclesiae se ali postulat. Denique significat non titulo deberi honorem, sed operae quam impendunt, qui sunt in officio constituti. Praefert tamen eos, qui in verbo et doctrina laborant: hoc est, qui docendo verbo sunt intenti. Nam duae istae voces rem vnam significant. nempe verbi praedicationem. Sed ne verbi nomine ociosum stu dium, et speculatiuum, vt vocant, quispiam intelligeret, adiecit doctrinam.
 310 Colligere autem hinc licet, duo fuisse tunc presbyterorum genera: quia non omnes ad docendum ordinabantur. Nam aperte verba sonant, quosdam bene et honeste praefuisse, quibus tamen non erant corumissae docendi partes. Et sane, ex populo deligebantur graues et probati homines, qui vna cum pastoribus communi consilio et autoritate

[p.66]

Ecclesiae disciplinam administrarent: ac essent quasi censores moribus corrigendis.
 315 Hunc morem Ambrosius obsoleuisse conqueritur Doctorum ignauia, vel potius superbia,
 dum soli volunt eminere. Nunc, vt ad Paulum redeam, victum praecipue suppeditari
 iubet pastoribus, qui docendo sunt occupati. Ea enim est mundi ingratitude, vt de
 fouendis verbi ministris non multum sit sollicitus. Et Sathan hac arte tentat doctrina
 priuare Ecelesiam, dum inopiae et famis metu plurimos absterret, ne id oneris suscipiant.
 320 Non obligabis os.) Praeceptum est politicum, quod nobis in genere aequitatem
 commendat: sicuti in priorem ad Corinthios Epistolam diximus. Nam si prohibet, ne
 inhumani simus brutis animalibus: quantoplus humanitatis exigit erga ipsos homines?
 Ergo perinde valet haec sententia, acsi generaliter diceretur, non esse labo

CAPVT V.

[p.67]

te alieno abutendum. Triturandi mos hodie multis Galliae partibus est ignotus, vbi
 325 flagellis triticum excutiunt. Soli Prouinciales norunt quid sit triturrare. Sed hoc nihil
 ad sensum. Quia tantundem de aratione dici potest. Quod subiicit continuo post, oper-
 arium dignum esse mercede sua, non citat quasi Scripturae testimonium: sed quasi di-
 ctum prouerbiale, quod omnibus dictat communis sensus. Quemadmodum et Christus
 cum idem dicebat Apostolis, nihil aliud quam sententiam proferebat omnium consensu
 330 approbatam. Ergo crudeles sunt et omnis aequitatis immemores, qui iumenta, nedum
 homines, esurire sinunt, quorum sudorem exugunt in suum commodum. Quantd aucem
 minus ferenda eorum ingratitude, qui victum pastoribus suis negant, quibus nullam satis
 dignam mercedem possunt rependere?

Aduersus presbyterum.) Postquam stipendia iussit erogari pastoribus, Timotheum
 335 etiam admonet, ne sinat eos infamari calumniis: nec vlla criminatione grauari, nisi
 quae nitatur legitimo testimonio. Sed posset hoc videri absurdum, quod legem, quae
 omnium est communis, presbyteris quasi peculiarem facit. Hoc iuris in causis omnibus
 Deus praescribit: vt ex ore duorum aut trium testium definiantur. Cur ergo hoc quasi
 singulari priuilegio solos presbyteros munit Apostolus, vt a falsis delationibus tuta sit
 340 eorum innocentia? Respondeo, hoc esse necessarium remedium, aduersus hominum
 malignitatem. Nulli enim calumniis et obtreptionibus magis sunt obnoxii, quam pii
 Doctores. Praeterquam enim quod muneris difficultas facit, vt interdum, vel succumbant,
 vel titubent, vel claudicent, vel hallucinentur, vnde multas carpenti ansas arripiunt
 improbi: huc etiam accedit, quod quantumuis exacte fungantur suis partibus, vt ne
 345 minimum quidem erratum admittant, nunquam mille reprehensiones effugiunt. Atque
 hic est astus Sathanae, alienare hominum animos a ministris, vt doctrina paulatim veniat
 in contemptum. Ita non tantum fit iniuria innocentibus, quod immerito laeditur eorum
 existimatio (quod tamen ipsum perquam indignum est in tam honesto ordine) sed detrahi-
 tur auctoritas sacrosanctae Dei doctrinae. Atque id praecipue, vt dixi, molitur Sathan.
 350 Neque enim hic tantum valet illud Platonis, Malignum esse vulgus ac praestantioribus
 inuidere. Sed quo sincerius quisque pastorum promouere studet regnum Christi, eo
 maiore oneratur inuidia, et proteruiores aduersus eum fiunt iusultus. Iam vero, simul
 atque aliqua de verbi ministris criminatione exiit, perinde acsi iam conuicti forent, certa
 fide excipitur. Id accidit, non tantum quia maior ab illis exigitur integritas: sed quia

355 plerosque fere omnes Sathan ad nimiam credulitatem instigat, vt nulla inquisitione habita,
cupide damnent suos pa

I. TIMOTH.

[p.68]

stores, quorum tueri famam potius debuerant. Ergo tantae iniquitati non frustra se
Paulus opponit: ac prohibet subiici improborum ma ledicentiae presbyteros: donec
legitimis testimoniis sint conuicti. Ne que enim mirum est, si multos habeant hostes,
360 quorum officium est, omnium vitia reprehendere, prauis omnium cupiditatibus aduersari,
seueritate sua cohibere quoscunque errare vident. Quid ergo fiet, si promiscue audientur,
quaecunque de illis sparsae fuerint calumniae?

Peccantes argue coram omnibus.) Quoties bonis cauetur, hoe mali ad immunitatem
suam arripiunt. Itaque quod de repellen dis iniustis accusationibus dixerat Paulus, sic
365 temperat hac sententia, ne cui tamen impune hoc praetextu peccare liceat. Et sane
videmus, quantis et quam multiplicibus priuilegiis suum clerum munierit Papatus: vt
cum nequissime viuunt, sint tamen ab omni reprehensione immunes. Certe si cautiones
obscruentur quas colligit Gratianus causa secunda, quaest. 4. item, q. 7. non erit
periculum, ne vnquam ad reddendam vitae rationem cogantur. Vbi enim sepruaginta duo
370 restes reperientur, quos in Episcopo damnando requirit pu tidum edictum sub nomine
syluestri? Deinde cum totus laicorum ordo ab accusatione arceatur: in clero etiam
minores maioribus prohibeantur molestiam facessere: quid impedit, quominus securi
iudicia omnia rideant? Proinde sedulo haec moderatio tenenda est: vt coerceantur linguae
petulantes, ne fictis criminibus presbyteros infament: et tamen vt quisquis inter cos male
375 se geret, seure corrigatur. Nam de presbyteris hoc dictum accipio: palam arguendos esse,
qui dis solute viuunt. Quare? Vt reliqui, dum ne illis quidem parci vident, qui gradu et
dignitate sunt superiores, tali exemplo moniti magis ti meant. Nam sicuti honestae vitae
exemplo praeire aliis debent presbyteri: ita si delinquant, seueritatem disciplinae exerceri
erga ipsos conuenit, quae omnibus sit exemplo. Cur enim plus illis indulgeatur licentiae,
380 quorum peccata longe grauius, quam aliorum nocent? Intellige autem quod dicit Paulus
de sceleribus, aut flagitiosis peccatis, quae publicum offendiculum secum ferunt. Nam si
quis ex presbyteris absque flagitio deliquerit :priuatim magis admonendum esse certum
est, quam palam redarguendum.

Contestor coram Deo.) Haec obtestatio interposita fuit a Paulo, non tantum vt in re
385 maxime seria: sed etiam propter summam difficultatem. Nihil enim difficilius, quam
tanta aequitate exer cere iudicia, vt neque gratia vnquam flectaris, nec suspitionibus des
aditum, nec delationibus mouearis, nec rigore sis nimius: nec aliud in omnibus causis
quam ipsam causam respicias. Nam inde ius aequabile, cum personis clausi sunt oculi.
Meminerimus autem, hic sub Timothei persona admoneri omnes pastores, et Timotheum
390 armari

CAPVT V.

[p.69]

veluti clypeo, aduersus prauas omnes sollicitationes, quae non raro plurimum negocii
solent, vel optimis quibusque exhibere. Timotheo igitur Deum ponit ante oculos: vt
sicut, non minori religione sibi administrandum esse suum munus, quam si ageret in

395 conspectu Dei et Angelorum. Postquam Deum nominauit, addit etiam Christum. Nam
is est, cui Pater omnem iudicandi potestatem detulit: et coram cuius tribunali semel
apparebimus. Angelos Christo adiungit, non tanquam iudices, sed tanquam futuros testes
negligentiae, aut temeritatis, aut ambitionis, aut malae fidei. Adsunt enim spectatores,
propter iniunctam sibi Ecclesiae curam. Et sane plusquam stupidum et saxeum esse
oportet, cui non excutiat torporem et oscitantiam sola haec cogitatio: theatrum Dei et
400 Angelorum esse Ecclesiae gubernationem. Vbi vero accedit solennis ista contestatio,
timorem ac sollicitudinem duplicari necesse est. Electos vocat Angelos, non tantum ut a
reprobis discernat sed excellentiae causa, ut plus reuerentiae, habeat eorum testimonium.

Absque praecipitatione. ὑπὸ κρίμα Graecis, si verbum de verbo exprimas, Latine
sonat praeiudicium. Verum potius significat festinationem nimiam, dum re nondum bene
405 perspecta, temere pronunciamus: aut significat immodicum fauorem, cum deferimus
personis plusquam aequum est, vel alios, tanquam eximios, aliis praeferimus. Quod
in iudiciis semper est iniquum. Ergo hic vel leuitatem, vel personarum acceptionem
damnat Paulus. Eodem spectat fere, quod sequitur: non esse huc vel illuc declinandum.
Dici enim vix potest, quam difficulter se retineant qui iudicandi munus sustinent, inter
410 tot ac tam varios impulsus. Nonnulli codices habent, π γόολυστη. Sed prior lectio
magis conuenit.

*Manus cito ne cui imponas: neque communices peccatis alienis. Temet ipsum purum
custodi. Ne posthac bibas aquam: sed paululo vino vttere, propter stomachum tuum, et
crebras tuas infirmitates. Quorundam hominum peccata ante manifesta sunt, festinantia
ad iudicium: in quibusdam verò etiam subsequuntur. Simil'iter et bona opera ante
manifesta sunt, et quae secus habent, latere nequeunt.*

Non dubium est, quin depellere a Timotheo inuidiam voluerit, et obuiam ire multis quer-
imoniis, quae subinde oriuntur aduersus pios Christi seruos, qui ambitiosis quorumnis
precibus obsequi

I. TIMOTH.

415 recusant. Nam alii morositatis eos insimulant, alii inuidiae: nonnulli etiam crudeles esse
clamitant: quia non statim admittant, qui se venditant qualieunque commendatione. Quod
hodie plus saris experimur. Paulus ergo Timotheum hortatur, ne a grauitate discedat, nec
se patiatu vinci praeposteris studiis: non tam quod opus haberet Timotheus eiusmodi
admonitione, quam ut sua autoritate compescat, qui alias ipsi Timotheo molesti esse
420 poterant. Primum, impositio manuum ordinationem significat: hoc est, signum pro
re ipsa capitur. Prohibet enim, ne quem minus adhuc probatum, nimia facilitate admittat.
Sunt enim qui nouitatis studio promoueri cuperent, vel ignotissimum quendam, simul
atque speciem vnum vel alterum ediderit, quod arrideat. Huic importunae cupiditati
grauem et prudentem Episcopum resistere conuenit: quemadmodum hic Paulus iubet
425 Timotheum facere.

Neque communices. Significat, eodem implicari reatu, qui illicitae promotioni
assentitur, atque ipsos praecipuos autores. Quanquam ira exponunt quidam, si indignos
admittat: quidquid postea deliquerint, culpam illi aut culpaem partem imputatum iri.
Sed mihi hoc videtur simplicius: etiam si in hanc temeritatem alii prorumpant: noli te

[p.70]

430 iilis socium addere, ne simul reus fias. Saepe enim accidit, vt nos, etiam recte alioqui
sentientes, abripiat aliorum stultitia et leuitas. Huc etiam refero, quod continuo post
sequitur: Temetipsum purum custodi: acsi dixisset: Si quid perperam fiat ab aliis, vide
ne vlla ex consensu, vel approbatione contagio ad te perueniat. Si impedire non potes,
435 quominus se polluant: saltem tua consilia ab illis constanter separata esse conuenit, quo
purum te serues. Si quis generalem esse malit sententiam, fruatur suo sensu. Sed magis
consentaneum est, meo iudicio, ad circunstantiam praesentis loci restringere.

Ne posthac bibas aquam.) Quoniam liaec sententia contextum abrumpit, quidam
non esse Pauli suspicantur. Atqui videmus Paulum non adeo fuisse curiosum in texenda
orationis serie: atque hoc illi non esse infrequens, vt diuersas sententias absque ordine
440 permisceat. Deinde fieri potest, vt quod, scripta iam Epistola, appositum fuerat extra
ordinem versuum, deinde librariorum errore in hunc locum obrepserit. In eo tamen non
ita anxie laborandum est, si illum, quem dixi, Pauli norem consyderamus. Nempe quod
res varias interdum miscere solet. Porrò summa est, vt Timotheus aliquantulum vini
bibere assuescat, valetudinis sustentandae causa. Non enim prohibet in totum, ne bibat
445 aquam: sed ne vtatur hoc ordinario potu. Nam verbum ὁ ἄροτος ἄν hoc significat.
Sed cur non simpliciter consulit, vt bibat vinum? Videtur enim, eum pauxillum

CAPVT V.

[p.71]

addit, velle obuiam ire intemperantiae: quod non fuit verendum in Timotheo. Respondeo,
hoc potius fuisse expressum, vt occurreret improborum calumniis, quibus promptum
alioqui fuisset eius consilium subsannare, hoc scilicet colore, aut simili: Qualis istaec
450 est philosophia, quae ad potandum vinum incitat? Haecne via est, qua in coelum
conscenditur? Vt eiusmodi sannas praeueniat Apostolus, testatur se necessitati dumtaxat
consulere: et medioeritatem simul commendat. Apparet autem Timotheum non frugalem
tantum in victu, sed etiam austerum fuisse: vt qui ne valetudini quidem suae parceret.
Ac certum est, neque ambitione id ab eo, neque superstitione fuisse factum. Vnde
455 colligimus, non modo a luxu et delitiis fuisse alienissimum: sed quo solutior esset ad
opus Domini, aliquid etiam ex ordinariis alimentis rescidisse. Neque enim natura, sed
continentiae studio erat abstemius. At quam pauci hodie sunt, quibus necesse sit aqua
interdicere: quam multi vero qui restringendi sint ad sobrium vini potum

Quorundam hominum peccata.) Quoniam nihil est, quod magis exeruciet fideles
460 Ecclesiae ministros, quam vbi malis corrigendis nul lam vident rationem: coguntur ferre
hypocritas, quorum nequitiam incelligunt: multos, qui sunt noxiae pestes, neque arcere
ab Ecclesia valent: ac ne impedire quidem, quominus clandestinis artibus venenum
suum spargant: hac consolatione sustentat Paulus Timotheum, fore vt aliquando, vbi
Deo visum fuerit, protrahantur in medium. Ita ad tolerantiam eum confirmat: quia aequo
465 animo expectanda est opportunitas, quam Deus, pro sua sapientia, praestituit. Mire etiam
probos et sanctos pastores torquet altera indignitas: quod vbi summa integritate officio
perfuncti sunt, multis iniquis sermonibus per stringuntur, onerantur multiplici inuidia,
vident rapi in contrariam partem quae laudem merebantur. Hac etiam ex parte subuenit
Paulus, eum admonet Timotheum, quibusdam bonis operibus lucem in aliud tempus
470 reseruari. Itaque si laus eorum quasi sub terram defodiatur hominum ingratitude, id
quoque placido animo esse sustinendum, donec reuelationis tempus adueniat. Quanquam

non his solùm malis medetur. Sed quia nos saepe falli contingit in eligendis ministris, dum se indigni astute insinuant, boni autem nobis sunt ignoti: deinde etiam si non erremus ipsi iudicando, nontamem aliis probare iudicium nostrum possumus, sed qui optimi sunt
 475 repudiantur nobis contra nitentibus, mali autem vel obrepunt, vel se obrudunt: fieri non potest, quin nos magnopere angat nostra et Ecclesiae candidio. Itaque Paulus in offensione vel tollenda, vel saltem subleuanda laborat. Venio nunc ad verba, postquam rem breuiter complexus sum. Cum dicit, peccata quorundam ante manifesta esse intelligit mature

I. TIMOTH.

480 patefieri, et prodire in notitiam hominum. Et hoc similitudine exprimit, quasi currendo festinent ad suum iudicium. Videmus enim vt multi praecipites ruant, sponteque accersant sibi damnationem: etiam si totus mundus saluos cupiat.

In quibusdam subsequuntur.) Quod Erasmus vertit, quosdam subsequuntur, non recipio. Tametsi videtur id Graecae constructioni magis quadrare: sesus tamen postulat, vt subaudiatur particula *ἔν*. Casus enim mutatio non tollit antithesin. Nam sicuti dixerat, quorundam peccata celeriter ad iudicium suum festinare: ita nunc econuerso addit, quorundam vel aliorum tardius venire in notitiam. Sed loco genicui, posuit datiuumin aliis. Significat autem, vtcunque diutius, quam optemus, lateant quorundam peccata, et tarde proferantur in lucem, non tamen perpetuo fore occulta. Nam et ipsa
 490 tempus suum habebunt.

Similiter et bona.) significat interdum pietatem et alias virtutes mature ac tempestiue suam laudem apud homines habere: vt in precio sint boni. Quod si secus accidat, non tamen passurum Dominum, vt perpetuo opprimatur innocentia et integritas. Sepae enim calumniis tanquam nubibus obscuratur: sed tandem impletur illud, Deum facere
 495 vt refulgeat instar aurorae. verum animo tranquillo opus est ad sustinendum. Homines enim sumus. Itaque semper videndum, quem modum habeat, nostra cognitio, ne vltra progredia mur. Nam id esset, Dei officium nobis arrogare.

CAPVT. VI.

QVICVNQVE sub iugo sunt serui: suos Dominos omni honore dignos exi stiment: vt ne Dei nomen et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles ha'bent dominos, ne despiciant, eo quod fratres sunt. Sed magis seruiant, quod fideles sint et dilecti, et beneficent iae participes.

Apparet, initio Euangelii, seruos, quasi dato manumissionis signo, animos sustulisse. Nam passim multuni laborat Paulus in cupiditate illa frenanda. Et sane, tam dura erat seruitutis conditio, vt non mirum sic, fuisse imprimis odiosam. Porro vsitatum est, arripere in carnis nostrae commodum quidquid habet minimam spe ciem. Ita cum
 5 audiebant, omnes nos esse fratres, protinus infere

[p.72]

CAPVT VI.

[p.73]

bant indignum esse, vt fratrum essent mancipia. Verùm, vt nihil tale venisset illis in mentem: semper tamen miseris hominibus necessaria est consolatio, quae temperet aerumnarum acerbitatem. Deinde non sine difficultate adduci poterant, vt libenter et alacri animo tam aspero iugo subiicerent ceruices. Huc igitur spectat praesens doctrina.

10 Quicumque sub iugo.) Quia sibi quisque praestantiam falsa opinione arrogat: nemo est, qui aequo animo ferat, alios sibi imperare. Qui effugere necessitatem nequeunt, parent illi quidem inuiti superioribus. sed intus fremunt et indignantur, quia sibi putant fieri iniuriam. Omnes eiusmodi disputationes vno verbo praecidit Apostolus, cum voluntariam subiectionem exigit ab omnibus, qui sub iugo sunt. Significat enim, non
15 esse inquirendum, sint ne digni tali fortuna an meliore: quia sufficiat, hac conditione esse obstrictos. Et cum praecipit, vt dignos honore existiment, quibus seruiant: non modo fidem et diligentiam in praestandis obsequiis requirit: sed vt eos suspiciant et venerentur ex animo, tanquam in altiore gradu collocatos. Nemo enim vel principi, vel domino praestat quod debet, nisi eminentiam inspiciens, ad quam illos Deus euexit,
20 honore ideo prosequitur, quia illis subest. Nam; vt cunq; saepe indigni sint: ipsa tamen praefectura, qua dignatur ipsos Deus, honorem semper me retur.

Ne nomen Dei.) Semper in nostrum commodum, plusquam oporteret, ingeniosi sumus. Ita seruis, si infideles habeant dominos, prompta est obiectio, indignum esse, vt qui diabolo seruiunt, imperent filiis Dei. Paulus autem in contrariam partem retorquet
25 argumentum, ideo infidelibus dominis parendum esse, ne male audiat nomen Dei et Euangelium: quasi Deus ille queni colimus, ad rebellandum nos incitet: quasi Euangelium contumaces reddat et praefra ctos, qui aliis subiecti esse debent.

Qui auce fideles.) Fratrum nomen videtur aequalitatem statuere, atque ita tollere dominium. Paulus ex aduerso ratiocinatur, eo libentius debere seruos fidelibus dominis
30 se subiicere, quia filios Dei agnoscunt, et eiusdem secum gratiae consortes. Neque enim vulgaris est ista dignatio, quod Deus eos dominis, in eo quod praecipuum est, aequauit. Nam communem simul adoptionem habent. Hoc ergo non leue illis incitamentum esse debet, ad seruitutem aequo animo ferendam.

Haec doce et exhortare. Si quis aliter docet, * Aunec acquiescit sanis sermonibus
35 Domini nostri Iesu

mg |

I. TIMOTH.

[p.74]

Christi, et ei quae secundum pietatem est doctrinae: inflatus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum: ex quibus oritur inuidia, contentio, maledicentiae, suspitiones malae, superuacuae conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate priuatisunt, existimantium quaestum esse pietatem. Seiungere a talibus.

Haec doce.) Intelligit haec esse, quibus docendis insistere debeat. Et doctrinae vult

exhortationes coniungi. Perinde ergo est, ac si dixisset, quotidie inculcandum esse hoc doctrinae genus. Nec docendos modo esse homines: sed exhortationibus quoque assiduis stimulandos ac vrgendos.

40 Si quis aliter. Quia verbum est compositum, potest etiam non male transferri, alia docet. Quanquam in sensu nulla est ambiguitas. Damnat enim eos omnes, qui in hac docendi ratione non conueniunt: etiam si non aperce neque ex professo oppugnent sanam doctrinam. Fieri enim potest, vt qui nullam alioqui profitetur impiam doctrinam, futili tamen garrulitate se ventitando, pietatis doctrinam adulteret. Nam vbi in ipsa doctrina
45 profectus nullus apparet, nullaque aedificatio, iam a Christi instituto disceditur. Cum autem non de professis impiorum dogmatum authoribus loquatur Paulus, sed de vanis doctoribus ac profanis, qui ambitione sua vel auaritia, simplicem et genuinam pietatis doctrinam, deformant: videmus tamen quam acriter ac seure inuehatur aduersus eos. Nec mirum. Dicit enim vix potest, quantum noceat fucosa, et prorsus ad ostentationem
50 et inanem pompam composita praedicatio. Verdm quos perstringat, melius patet ex contextu. Nam quod proxime sequitur: et non acquiescit sanis sermonibus: exegeticum est. Fieri enim solet, vt eiusmodi homines, praepostera curiositate abrepti, quidquid vtile est ac solidum, despiciant. Itaque instar petulantium equorunn sine ratione lasciuunt. Id verdm quid aliud est, quam respuere sanos Christi sermones? Nan sani vocantur ab effectu,
55 quia sanitatem, nobis conferant. Idem significat doctrina, quae secundum pietatem est. Neque enim pietati consentanea erit, nisi in timore cultuque Dei nos instituat, nisi fidem nostram aedificet, nisi ad patientiam, humilitatem, omnia charitatis officia nos eru diat. Ergo quisquis vtiliter docere non studet, secus docet quam oportebat. Imo nec pia, nec sana est doctrina, quocumque colore fulgeat, quae ad profectum audientium non tendit.
60 Nulla excogitari po

CAPVT VI.

[p.75]

test aptior ad castigandos ambitiosos poena, quam dum inscitiae dam natur totum id, quo sibi placent. Itaque Paulus eos nihil scire pronunciat, vtcumque multis argutiis turgeant. Nihil enim habent solidum, sed meros tantum flatus Et simul pios omnes admonet, ne se ventosa ista ostentatione efferru patiantur, quominus in Euan gelii simplicitate defixi
65 maneant.

Sed languens.) Est obliqua antithesis inter sanitatem doctrinae Christi, ac languorem istum. Nam cum multum ditque se fatigauerint subtiles isti quaestionarii: quem tandem fructum reportant ex suo labore? Nisi quod subinde crescit morbus. Ita non frustra tantum se macerant: sed languorem contrahunt ex peruersa sua curiositate. Sequitur ergo longe
70 abesse, vt rite proficiant, quemad modum oportebat Christi discipulos. Quaestiones et verborum pugnas non abs re simul coniungit. Priore enim vocabulo non quasuis quaestiones significat, quae vel ex sobrio moderatoque discendi studio nascuntur: vel ad puram rerum vtilinm explicationem faciunt: sed quales hodie in Sorbonicis scholis agitantur, ad ostentandum acumen. Illic quaestio quaestionem parit; quia nullus est
75 modus, vbi quispiam plus scire, quam expediat, appetens, suae vanitati indulget. Hinc postea emergunt infinitae rixae. Quemadmodum enim crassae in calore nubes non sine tonitru discutuntur ita necesse est, vt spinosae istae quaestiones in certamina ebulliant. Caeterum λογωμαχίας, nominat contentiosas disputationes de verbis magis

quam de rebus: vel, vt vulgo loquuntur, sine materia, aut subiecto. Nam si quis diligenter
 80 expendat, quaecunque intet sophistas feruent contentiones, deprehendet non ex rebus
 eas prouenire: sed ex nihilo eas excudi. In summa: quaestiones omnes damnare voluit
 Paulus, quae nos ad nihili contentiones acuunt.

Ex quibus oritur inuidia.) Ab effectis demonstrat, quantopere fugienda sit ambitiosa
 sciendi cupiditas. Mater enim inuidiae est ambitio. Vbi autem regnat inuidia, illic simul
 85 feruent conuitia, rixae, et reliqua mala, quae hic a Paulo numerantur. Addit, talibus
 peruersam esse mentem, et esse veritate priuatos. Porro certum est, hic taxari sophistas
 qui, posthabita aedificatione, verbum Dei in artem subtiliter disserendi et friuolas argutias
 conuertunt. Si tantum ostenderet Apostolus, inutilem reddi hoc modo salutis doctrinam:
 iam ista esset minime tolerabilis profanatio. Sed longe grauior ac vehementior est ista
 90 reprehensio, quod tam pernitiōsa mala, quae inde manant, et tam noxias pestes recenset.
 Ex hoc itaque loco discamus sophisticen detestari, vt rem Ecclesiae Dei magis pestiferam
 quani satis credi possit.

Quaestum esse pietatem.) Sic resolue. Pietatem esse quae

I. TIMOTH.

[p.76]

stum, vel artem quaestuosam: quia scilicet totum Christianismum luero metiuntur.
 95 Perinde enim ac si non alium in finem prodita fuissent Spiritussancti oracula, quam vt
 eorum auaritiaē seruirent, tanquam merce venum exposita, negociantur. Cum talibus
 vetat Paulus seruos Christi quidquam habere commercii. Nam et si palam non aduersentur
 Euangelio, quin potius falsa eius professione se iacent: summa tamen danda est a nobis
 opera, vt omnes intelligant adeo nos esse ab illis alienos, vt nihil nobiscum habeant
 100 commune.

*Est autem quaestus magnus pietas, cum sufficientia. Nih il enim intulimus in mundum:
 certum quod neque efferre quidquam possumus. Habentes autem alimenta et tegmina,
 his contenti erimus. Nam qui volunt ditescere, incidunt in tentationem et laqueum, et
 cupiditates multas stultas et noxias, quae demergunt homines in exitium et inte ritum.
 Radix enim omnium malorum est auaritia, cui addicti quidam aberrarunt a fide, et
 seipsos implicauerunt doloribus multis.*

Est autem quaestus.) Eleganter non sine aronica correctione in contrarium sensum
 eadem verba mox retorquet: acsi dixisset: Perperam illi et nequiter, qui venalem habent
 Christi doctrinam: quasi vero pietas esset quaestus. Quanquam certe, si quis recte
 aestimet, pietas magnus est ac vberimus quaestus. Ideo autem sic vocat, quod plenam
 105 et absolutam beatitudinem nobis affert. Sacrilegi ergo illi, qui lucro nummario addicti,
 pietatem conferunt ad suum quaestum. Nobis autem pietas satis magnum per se lucrum
 est, quia per eam consequimur, non tantum vt simus haeredes mundi, sed etiam vt
 fruamur Christo omnibusque eius diuitiis.

Cum sufficientia.) Tam ad affectum animi, quam ad rem ipsam referri potest. Si ad
 110 animum referas, sensus erit: pios, dum nihil appetunt, sed contenti sunt sua tenuitate,
 satis magnum luerum esse consecutos. Si rerum sufficientiam accipias (quod mihi non mi
 nus arridet) erit promissio, qualis illa Psalmi 3 4. Leones esuriunt, et famelici vagantur:
 qui autem Dominum inquirunt, non destituentur omni bono. Semper enim adest suis

115 Dominus, et quantum illorum necessitati sufficit, quidquid est bonorum, erogat. Ita vera foelicitas in pietate sita est: haec vero sufficientia veluti quoddam est auctarium.

CAPVT VI.

[p.77]

Nihil enim intulimus. Hoc ad finiendum sufficientiae modo dum addidit. Gurges est inexplibilis, nostra cupiditas, nisi coerceatur. Hoc autem optimum frenum, si nihil plus appetamus, quam postulat vitae huius necessitas. Nam ideo fines transilimus, quia ad mille vitas, quas falsa imaginatione concipimus, sollicitudo nostra se extendit. Nihil est magis vulgare, nihil etiam magis confessum, hac Pauli sententia. Verum, simul atque omnes confessi fuerint, quod etiam oculis quotidie cernitur: vnusquisque votis immensa latifundia non secus absorbet, quam si alium haberet dimidii mundi capacem. Atque hoc est quod habetur Psalmo 49. Cum stultitia patrum appareat, in eo quod sperabant hic se perpetuo mansuros: nihilominus posteros illorum viam approbare. Ergo, vt constet nobis sufficientia: discamus animum ita compositum habere, vt nobis sufficiat, quod ad tolerandam vitam necessarium est. Cum alimenteria et vestiarius nominat, delicias et abundantem copiam excludit. Natura enim paruo contenta est. superfluum autem, quidquid exuperat naturalem usum. Non quod liberalior vsus per se damnari debeat. Sed appetitus semper vitiosus est.

130 Qui volunt ditescere.) Postquam ad continentiam hortatus est, ac diuitiarum contemptum, nunc admonet, quam perniosa sit habendi cupiditas: ac praesertim in Ecclesiae ministris, de quibus nominatim hic tractat. Non sunt autem diuitiae malorum, quae hic commemorat, causa: sed appetitus, etiam si quis alias sit pauper. Nec tantum quid plerumque accidere soleat, sed quid perpetuo accidere necesse sit, docet. Quisquis enim hoc habet propositum, vt ditescat, Diabolo se captiuum tradit. Verissimum est illud ethnici poetae: Qui diues fieri vult: et cito vult fieri. Vnde sequitur, omnes qui feruntur ad diuitias expetendas, praecipites ruere. Hinc etiam stultae illae, imo insanae cupiditates, quae tandem eos in exitium demergunt. Hoc quidem malum est vniuersale: sed in Ecclesiae pastoribus magis conspicuum eminent. Ita enim eos dementat auaritia, vt nihil quantumuis absurdum refugiant, simul atque auri fulgor vel argenti oculos perstrinxit.

140 Radix enim malorum.) Non est, cur in aliorum vitiorum comparatione nimis scrupulose laboremus. Certum est, ambitionem ac superbiam saepe deteriores proferre fructus. Atqui non prouenit ex auaritia ambitio. De libidine venerea idem potest dici. Sed Pauli consilium non fuit, quaecumque nominari possint vitiorum species, eas sub auaritia includere. Quid igitur? Simpliciter intellexit, infinita mala inde oriri. Quemadmodum vulgo loquimur: nihil esse malorum, quod non pariat, vel discordia, vel gula, vel ebrietas, vel aliud quoduis simile vitium. Et profecto de scelerata habent

I. TIMOTH.

[p.78]

di cupidine, verissime hoc praedicare licet: nullam esse malorum speciem, quae non ab ea quotidie scaturiat. Vt sunt innumerae fraudes, fallaciae, periuria, circumuentiones, rapinae, crudelitas, corruptelae in iudiciis, lites, odia, veneficia, caedes. Denique omnes fere nocendi artes. Similes passim sententiae apud profanos scriptores occurrunt. Quare improbe faciunt quidam hyperbolice hoc a Paulo dictum insimulantes, qui Horatio, vel

Ouidio applauderent sic loquenti. Vtinam vero non comprobaret quotidiana experientia rem ipsam, vt est, simpliciter fuisse indicatam. Sed meminimus, eadem scelera, 155 quae ab auaritia manant, posse etiam vel ab ambitione, vel ab inuidia vel ab aliis prauis affectibus oriri: vt certe oriuntur.

Cui addicti quidam.) Graeca locutio impropria est, cum dicit, appeti auaritiam: sed quae sensum nihil obscurat. Malum enim omnium atrocissimum ab auaritia nasci pronunciat, defectionem a fide. Nam qui laborant hoc morbo, paulatim degenerant, donec 160 abiiciant penitus fidem. Hinc dolores illi, quos commemorat: quo nomine intelligo dira conscientiae tormenta, quae solent desperatis hominibus accidere.

Tu vero, o homo Dei, haec fuge. Sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei. Apprehende vitam aeternam, ad quam etiam vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Denuncio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, et Christo Iesu, qui testificatus est bonam confessionem coram Pontio Pilato, vt serues mandatum immaculatus et irreprehensibilis, vsque ad reuelationem Domini nostri Iesu Christi: quam suis temporibus manifestabit beatus et solus princeps, Rex regnantium, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, qui lumen habitat inaccessum, quem vidit nullus hominum, nec videre potest, cui honor et potentia aeterna, Amen.

Tu verd.) Hominem Dei vocando, pondus addit cohortationi. Et remedium opponit corrigendae auaritiae, cum praecipit quales appetere diuitias debeat. Nempe spirituales. Nominat autem

CAPVT VI.

quasdam virtutum species exempli causa, sub quibus alias etiam intelligere conuenit. Ergo quisquis iustitiae studio tenebitur, et ad pietatem, fidem, charitatem adspirabit, tolerantiam et mansuetudinem sectabitur, fieri non poterit, quin ab auaritia eilisque fructibus abhorreat. [p.79]

Certa bonum certamen.) Quemadmodum in proxima Epistola dicit: qui militiae nomen dedit, non implicatur alienis a sua professione negociis. Itaque vt Timotheum retrahat a nimia rerum terrestrium cura, certandum esse admonet. Quo autem eum animet ad obeundum fortiter eiusmodi certamen, bonum appellat: hoc est foelix, et ideo minime fugiendum. Nam si dubio euentu, et cum mortis periculo pugnare non dubitant terreni milites: quanto meliore animo certare nos conuenit sub Christi auspiciis et vexillo, postquam de victoria certi sumus? Praesertim cum nos praemium maneat, non quale militibus suis persolvere solent alii Imperatores: sed gloriosa immortalitas, et coelestis beatitudo. Indignum sane foret, tali spe proposita, nos fatigari vel labascere. Atque id est, quod continuo post subiicit: Apprehende vitam aeternam. Perinde enim est, acsi diceret: Deus ad vitam aeternam te vocat. Igitur, contempto mundo, illuc enitere. Apprehendere autem cum ipsam iubet, vetat in medio cursu cessare aut pigrescere. Vocationis meminit, ad meritandam alacritatem. Nihil est enim, quod plus animi facere nobis debeat, quam dum audimus, nos a Deo vocatos. Nam inde colligimus, non temere nos nec frustra laborare, vbi Deum habemus instituti nostri authorem. Et ista esset grauis exprobratio, Deivocationem repudiassse. Quare hic acerrimus stimulus esse debet: Deus te ad vitam

185 aeternam vocat. Caue ne alid abstraharis, aut alioqui deficias, priusquam eam fueris consecutus.

Et confessus bonam confessionem.) Commemoratione etiam superioris vitae magis ad pergendum stimulat. Turpius enim est, deficere postquam recte coeperis, quam nunquam coepisse. Ergo hoc argumento acuit Timotheum, quod strenue et cum laude
190 hactenus se gesserit: vt primis vltima respondeant. Confessionem intelligo, non verbis conceptani, sed potius reipsa editam: neque id semel duntaxat, sed in toto ministerio. Sensus ergo est: Habes praeclarae tuae confessionis multos testes cum Ephesi, tum in aliis regionibus, qui te fideliter et serio in Euangelii professione versantem spectarunt. Quamobrem, tali specimine edito, iam tibi non licet, nisi cum summo pudore et dedecore,
195 alium te praestare, quam egregium Christi mi litem.

Denuncio tibi.) Tanta obstestationum vehementia, qua Paulus vtitur, argumento est, quam difficilis sit ac rara virtus, persta

I. TIMOTH.

[p.80]

re in Euangelii ministerio, vt decet, vsque ad extremuni. Tametsi enim alios quoque
hortatur sub Timothei persona: simul tamen eum conipellat. Porro quae de Christo et
200 Deo praedicat, ex cireunstancia praesentis causae dependent. Nam cum Deo hoc tribuit, quod viuificet omnia, vult occurrere crucis offendiculo, quae nihil quam mortis speciem praesefert. Oculos ergo claudendos esse significat, vbi mortem ostentant ac minantur impii: vel potius in Deum solum esse defigendos: quia ipse est, qui mortuos restituit in vitam. Summa huc tendit, vt omisso mundi intuitu, in solum Deum respicere discamus.
205 Quod de Christo mox subiicit, continet eximiam confirmationem. Admonemur enim, non sub Platone aliquo nos philosophari qui ociosas disputationes in vmbra tractet: sed doctrinam, quam profitemur, morte filii Dei sancitam esse. Non enim multis verbis Christus suam confessionem sub Pilato, sed reipsa, voluntariam scilicet mortem obeundo, asseruit. Hanc vocat bonam confessionem. Nam Socrates quoque mortuus est. Neque
210 tamen mors eius legitima fuit doctrinae, quam tenebat, comprobatio. At cum audimus fusum esse sanguineni filii Dei: illud sacrosanctum est sigillum, quod omni dubitatione nos eximit. Ergo quoties vacillant animi, meminerimus a Christi morte confirmationem esse subinde petendam. Cuius enim ignauiae foret, talem ducem nobis praeuentem deserere?

Vt serues mandatum.) Nomine mandati significat, quae hactenus de officio Timothei
disseruit. Quorum haec fuit summa: vt se fidelem Christo et Ecclesiae ministrum praeberet. Quid enim opus est, hoc extendere ad totam legem? Nisi forte simpliciter accipere
quis malit pro functione illi iniuncta. Neque enim constituimur Ecclesiae ministri, quin
220 simul nobis Deus praescribat, quidnam agere nos velit. Ita seruare mandatum nihil aliud esset, quam munus sibi commissum bona fide exequi. Omnino certe ad ministerium Timothei refero. Quae sequuntur epitheta, quod ad casum et terminationem spectat, Graece tam mandato, quam personae Timothei conueniunt. Sensus tamen, quem reddidi, multo est aptior.

Vsque ad reuelationem.) Dicit non potest, quam fuerit piis omnibus necessarium illo
225 tempore, mentes habere in diem Christi prorsus defixas: cum in mundo quaquaersum occurrerent innumera scandala. Vndique impetebantur: omnibus odio erant et execra-

tioni: omnium ludibriis expositi erant: quotidie premebantur nouis aerumnis: nullus interea tot laborum et molestiarum fructus apparebat. Quid igitur erat reliquum, nisi vt cogitatione transuolarent ad beatum illum diem redemptionis nostrae? Quamquam eadem
 230 hodie quoque ratio apud nos valet: imo fere omnibus seculis est communis. Quam multa enim assidue oculis nostris ingerit Sathan, quae a

CAPVT VI.

[p.81]

lioqui nos a recto proposito centies abducerent? Omitto ignes, gladios, exilia, et omnes furiosos hostium impetus. Omitto calumnias, et alias vexationes. Quam multa sunt intus longe peiora? Insurgunt ambitiosi homines: subsannant Epicurei et Lucianici: insultant proterui: fremunt hypocritae qui secundum carnem sapiunt oblique nos mordent: sollicitamur variis artibus huc et illuc. Denique, ingens est miraculum, cum in tam arduo et periculoso munere quispiam infractus perseuerat. His tot difficultatibus vnicum est remedium, oculos coniciere in Christi apparitionem et illinc semper pendere. Quia autem praecipites in votis nostris solemus ferri: et parum abest, quin diem et horam praestituamus Deo, ne praestare differat si quid promisit: ideo nimiam festinationem mature cohibet, in expectando Christi aduentu. Nam hoc sibi volunt haec verba: quam Deus suis temporibus repraesentabit. Aequiore enim animo expectant homines, cuius nondum opportunum adesse tempus sciunt. Qui fit, vt in sustinendo naturae ordine simus tam patientes, nisi quod nos retinet ista cogitatio: intempestiue nos facturos, si
 245 contra desiderii nostris luctemur? Ita sciamus, Christi reuelationi suum esse tempus destinatum, quod patienter expectare nos oporteat.

Beatus et solus princeps.) Istis elogiis ideo extollit Dei principatum; ne principum huius seculi fulgor oculos nobis perstringat. Ac praecipue illo tempore necessaria fuit eiusmodi admonitio. Quanta enim tunc fuit regnorum omnium magnitudo et potentia, tantumdem Dei maiestas et gloria obscurabantur. Nam quotquot rerum potiebantur, non modo infestissimi erant regni Dei hostes: sed superbe insultabant Deo, sacrumque eius nomen pedibus calcabant. Ac quo maiore fastu despiciebant veram religionem, eo beatiore sibi videbantur. Quis non ex tali rerum facie iudicasset, Deum misere victum et oppressum? Videmus quam insolenter efferatur Cicero aduersus Iudaeos, propter afflictas eorum fortunas, in oratione pro Flacco. Dum ita rebus secundis inflatos esse impios vident boni, interdum exanimantur. Quare Paulus, vt ab euanido isto splendore piorum oculos auertat, beatitudinem, principatum et regnum vindicat vni Deo. Solum principem cum vocat, non euertit politicum ordinem: quasi nulli in mundo esse debeant magistratus aut reges: sed eum esse solum significat, qui a seipso regnat, ac sumpte virtute. Quod
 260 etiam ex sequentibus patet, quae vice expositionis addidit: Rex regnantium. Dominus dominantium. Summa est, omnes mundi potestates summo eius imperio subesse, ab ipso pendere, stare denique et cadere eius nutu. Hoc vero imperium esse incomparabile: quia ad eius gloriam nihil sint reliqua omnia: et cum haec caduca sint et breui interitura illud perpetuo duret.

L. TIMOTH.

[p.82]

265 Qui solus habet immortalitatem.) In hoc incumbit Paulus, vt nihil extra Deum foelicitatis,

nihil dignitatis aut excellentiae, nihil vitae reliquum faciat. Ideo nunc dicit solum Deum esse immortalem, vt sciamus, nos cum omnibus creaturis non proprie viuere, sed vitam ab ipso mutuari duntaxat. Hinc sequitur, dum adspiramus ad Deum fontem vitae immortalis, hanc praesentem vitam pro nihilo ducendam esse. Sed obiicitur, suam humanae animae et Angelis esse immortalitatem: ideo hoc non vere de solo Deo praedicari. Respondeo, non hic negari, quin Deus in quas velit creaturas immortalitatem diffundat, cum eam solus habere dicitur. Perinde enim hoc valet, acsi dixisset Paulus, solum Deum non a seipso tantum esse immortalem, et suapte natura: sed immortalitatem in potestate habere. vt in creaturas non competat, nisi quatenus suam illis virtutem inspirans, eas vegetat.

275 Nam si vim Dei quae indita est hominis animae, tollas: statim euanescet. Ideni et de Angelis sentiendum. Ergo, proprie loquendo, non subest animarum, vel Angelorum naturae immortalitas, sed aliunde manat: nempe ab arcana Dei inspiratione. Iuxta illud: In ipso viuimus et moueniur, et sumus. Si quis plura et subciliora desideret: legat duodecimum Augustini librum De ciuitate Dei.

280 Lumen habitat.) Duo significat: Deum nobis esse absconditum: nec tamen causam obscuritatis in ipso esse, quasi in tenebris lateat, sed in nobis, quibus propter imbecillam mentis aciem, vel hebetudinem potius, non patet accessus ad eius lumen. Caeterum inaccessum Dei lumen, intellige, si quis proprio Marte ad ipsum contendat. Nisi enim sua gratia patefaceret nobis Deus, aditum non diceret Propheta: Qui ad eum accedunt

285 illuminantur. Quanquam verum est, nunquam, dum hac mortali carne circundamur, nos eovsque penetrare in vlcima adyta Dei, vt nihil nos fugiat. Ex parte enim cognoscimus: et videmus quasi per speculum et in aenigmate. Ingredivimur ergo per fidem in lucem Dei: sed ex parte. Interea verum est illud: esse lucem illam homini inaccessam.

Quem nullus hominum vidit.) Maioris explicationis causa hoc additum est: vt discant

290 homines fide in eum respicere, cuius speciem oculis non cernunt: adeoque nec mentis intellectu. Neque enim hoc tantum ad corporeos oculos refero: sed ad ipsam quoque animae facultatem. Videndum semper quorsum tendat Apostolus. Difficile est, omnia, quorum praesenti conspectu fruimur, posthabere et negligere, vt ad Deum enitatur, qui nusquam apparet. Nam subinde obrepit haec cogitatio: Qui seis an Deus sit, cum

295 tantum audias ipsum esse, non autem videas? Aduersus hoc periculum nos praemunit Apostolus, cum aestimandum id esse negat ex sensu nostro, quia id captum nostrum superet. Ideo enim non videmus, quia non est a

CAPVT VI.

cies, quae in tantam altitudinem conscendat. Longa est disputatio apud Augustinum de hac sententia: quia videtur pugnare cum eo quod habetur in prima Epistola Ioannis:

300 Tunc videbimus eum sicuti est, quia similes ei erimus. Eam disputationem cum agitet pluribus locis, nullibi melius videtur expedire, quam in Epistola ad Paulinam viduam. Quod tamen ad sensum praesentis loci attinet: simplex est responsio: nos videre Deum non posse in hac natura, quemadmodum alibi dicitur: Caro et sanguis Regnum Dei non possidebunt. Renouari enim nos oportet, vt simus Deo similes, priusquam eum vi

305 dere nobis detur. Et ne simus vltra modum curiosi, semper illud suceurrat, plus in hac inquisitione valere viuendi, quam loquendi modum. Simul et illud cauere meminimus, quod prudenter Augustinus cauendum praecipit: ne dum altercando vestigamus, quomodo

[p.83]

possit Deus videri. ipsam pacem, sanctificationemque perdamus, sine qua nemo Deum videbit vnquam.

His qui diuites sunt in hoc seculo praecipe, ne efferantur, neve sperent in diuitiarum incertitudine, sed in Deo viuo, qui abunde suppeditat omnia ad fruendum, vt benefaciant, vt diuites sint in operibus bonis, faciles ad largiendum, libenter communicantes, recondentes sibiipsis fundamentum bonum in posterum, vt vitam, quae vere aeterna est, apprehendant. O Timothee depositum custodi, deuitans profana vaniloquia, et oppositiones falso nominatae scientiae: quam quidam profitentes aberrarunt a fide. Gratia tecum, Amen.

310 Verisimile est, cum multi inter Christianos tenues effent et abiecti, a diuitibus, vt fieri solet, fuisse contemptos. Idque Ephesipotissimùm, in vrbe opulenta, vsu venire potuit. Illic enim, vt plurimum magis regnat fastus. Atque hinc colligimus, quam periculosa res sit bonorum affluentia. Neque enim frustra Paulus tam seuera admonitione peculiariter diuites compellat: sed vitiis medetur, quae perpetuo fere sequuntur diuitias, non secus
315 atque vmbra corpus: idque ingenii nostri prauitate, qui ex Dei donis peccandi materiam semper arripimus. Duo autem nominatim ponit, quae debeant cauere diuites, superbiam, et spem fallacem: quorum prius ex posteriore nascitur: et ideo videtur secundo loco additum, neve sperent, et c.vt

I. TIMOTH.

fontem omnis superbiae notaret Paulus. Vnde enim fit, vt insolescant diuites, et alios
320 despiciendo sibi nimium placeant, nisi quia beatos se esse imaginantur? Praecedit igitur inanis fiducia, deinde elatio sequitur. Haec vitia dum vult Paulus corrigere, primùm contentim de diuiriis loquitur. Nam particula, in hoc seculo, ad extenuationem tendit. Quidquid enim ex seculo est, eius naturam respicit: vt scilicet fluxum sit, ac cito praetereat. Spei quae in diuitiis locatur, fallaciam et vanitatem ex eo ostendit, quod earum possessio
325 tam est euanida, vt similis sit rei incognitae. Nam dum eas tenere nos putamus, effluunt momento. Quam igitur stultum est, spem in illis figere?

Sed in Deo viuo.) Qui hoc tenebit, facile spem a diuitiis suam abstrahet. Nam si solus Deus est, qui nobis ad necessarios vitae vsus omnia suppeditat: tranffertur eius officium ad diuitias, si spes in illis locatur. Obserua autem esse tacitam antithesin,
330 cum praedicat Deum omnibus affatim dare. Sensus enim est: Etiam si plena rerum omnium copia affluamus, nos tamen nihil habere, nisi ex sola Dei benedictione: quoniam ea sola est, quae nobis subministrat quidquid opus est. Vnde sequitur valde falli, qui in diuitias recumbunt: et non toti pendent a Dei benedictione, in qua nobis sira est victus et rerum omnium sufficientia. Hinc etiam colligimus, non ideo tantùm a spe
335 diuitiarum nos reuocari, quia tantùm ad vsum mortalis vitae pertineant sed etiam quia nihil sint nisi fumus. Neque enim pane alimur tantùm, sed Dei benedictione. Cum dicit abunde, ας πλόυσιον, significat quam liberalis sit erga nos Deus, imo erga vniuersos mortales, adeòque bruta animalia. Nam vltra necessitatem longe lateque se diffundit eius beneficentia.

340 Vt benefaciant.) Superioribus remediis aliud etiam adiungit, ad prauos diuitum affectus corrigendos, dum praescribit quis legitimus sit bonorum vsus. Nam quid quisque

[p.84]

plus opibus abundat. eo amplior illi beneficentiae materia suppetit. Et quia semper ad erogandum pigriores sumus quam deceats pluribus verbis eam virtutem commendat. Addit praeterea stimulum ex mercedis promissione. Largiendo, inquit, et communicando
 345 meliorem sibi thesaurum in coe lo comparent, quam habere possint in terra. Fundamenti nomine. stabilem et firmam durationem significat. Neque enim tineis aut furibus, aut incendiis obnoxiae sunt diuitiae spirituales, quas nobis in coelo recondimus: sed perpetuo manent, extra periculum constitutae. Nihil enim in terra vere fundatum est, sed omnia quodammodo fluctuant. Porro quod inde inferunt Papistae, nos igitur bonis operibus
 350 vitam aeternam promereri: nimis friuolum est. Acceptum certe fert Deus, quidquid pauperibus impensum fuerit. Sed quia vix centesima

CAPVT VI.

[p.85]

ex parte officio suo satisfaciunt etiam perfectissimi, indigna est nostra benignitas, quae in rationem coram Deo veniat. Imo si ad calculum nos vocaret Deus, nemo erit qui non conturbet. Adeo longe absumus a plena solutione. Sed postquam nos gratuito
 355 sibi reconciliauit Deus, officia nostra qualiacunque sint, sic accepta habet, vt indebita mercede dignetur. Proinde remuneratio non ex meriti ratione pendet, sed ex liberali Dei acceptance: adeoque fidei iustitiae non repugnat, vt eius sit quasi appendix.

O Timothee.) Tametsi varie exponunt depositi nomen, ego simpliciter eo notari puto gratiam, qua instructus erat Timotheus ad munus suum exequendum. Eadem vero
 360 ratione depositum no minatur, qua et talentum. Nam ea lege nobis committit, quidquid donotum in nos confert Deus, vt reddenda sit olim ratio, si nostra ignauia perierit vtilitas, quae inde prouenire debuerat. Admonet igitur, vt diligenter conseruet quod sibi datum est, vel potius apud se depositum, ne patiatu corrupti vel adulterari, vel ne seipsum priuet ac spoliuet propria culpa. Saepe enim ingratitude nostra, aut donorum Dei abusus
 365 facit, vt ipsa nobis auferantur. Proinde Timotheum admonet Paulus, vt bona conscientia rectoque vsu, quod sibi commis sum est, conseruare studeat.

Deuitans profanas.) Huc spectat admonitio, vt intentus sit in solidam doctrinam: quod fieri non potest, quin ab ostentatione abhorreat. Nam vbi regnat placendi ambitio, nullum amplius viget aedificationis studium. Proinde cum mentionem faceret custodiendi
 370 depositi, non abs re hanc cautionem mox adhibuit, de fugienda profana garrulitate. Porro quod κλυβοβώνίαι vertunt inanitates voeum, non adeo displicet, nisi quod postea ambiguitate decepti, perperam exponunt. Voces enim accipiunt pro vocabulis, vt est fatum, vel fortuna. Ego autem grandiloquentiam eorum et inflatam magnis ampullis garrulitatem notari existimo, qui Euangelii simplicitate non contenti, ipsum in profanam
 375 philosophiam conuertunt. Ergo κλυ οευνία, sunt non in singulis vocibus, sed in perpetua resonantia, quam despumant ambitiosi homines, qui plausum magis captant, quam Ecclesiae profectum. Et aptissime expressit Paulus rem ipsam. Nam eum grande nescio quid resonent, nihil tamen subest. Est igitur inanis tinnitus: quem profanum etiam vocat, quoniam extinda est vis spiritus, simul atque Doctores itae inflant suas tibias, ad suam
 380 eloquentiam venditandam. Contra tam claram ac testatam Spiritussancti prohibitionem perripit nihilominus haec pestis: ac statim quidem ab inirio coepit pullulare, ita vero demum grassando obtinuit in Papatu, vt adulterina theologiae larua, quae illic regnat, viuum sit speculum profanae istius et inanis resonantiae, cuius meminie Pau

I. TIMOTH.

[p.86]

385 lus. Omitto, quod innumeris erroribus, deliriis, ac blasphemis scaetent eorum libri ac
 clamosae illae disputationes. Verum etiam si aliat nihil docerent impium: quoniam tamen
 tota eorum doctrina nihil continet, praeter sesquipedales ampullas: a maiestate Scripturae,
 ab energia spiritus, a prophetica grauitate, a sinceritate Apostolica prorsus aliena est:
 eo ipso mera est genuinae theologiae profanatio. Quid enim, obsecro, de fide, aut
 poenitentia, aut inuocatione Deit quid de hominum imbecillitate, Spiritussancti auxilio,
 390 gratuita peccatorum remissionet quid de officio Christi tractant, quod ad solidam pietatis
 aedificationem valeat? Sed de his adhuc dicendum erit in altera Epistola. Certe quisquis
 mediocri intelligentia et ingenuitate erit praeditus, fatebitur totam magniloquentiam
 Papalis theologiae, et omnes quae in scholis tonant magistrales determinationes, nihil
 esse aliud, quam profanas κενοφωνίας: nec alio titulo posse aptius designari. Et certe
 395 haec iustissima est humanae arroganciae poena, vt quicumque degenerant a Scripturae
 puritate, profanescant. Quare non possunt nimis sedulo intenti esse Ecclesiae Doctores ad
 cauendas eius modi corruptelas, et arcendam inde iuuentutem. Vetus interpres κενοφω
 νίας legens eum diphrongo, transtulit nouitates. Et apparet ex veterum commentariis,
 lectionem hanc olim fuisse receptam inter multos, quam nunc etiam Graeci quidam
 400 codices retinent. Verum prior illa, quam secutus sum, longe melius quadrat.

Et oppositiones.) Hoc quoque admodum proprie et eleganter. Tantum enim tumoris
 habent argutiae, quibus se iactant homines gloriae cupidi, vt germanam Euangelii doctri
 nam obruant. Pompam ergo illam, quae eminent, et quae cum plausu excipitur a mundo,
 vocat Apostolus oppositiones. Ambitio quidem semper contentiosa est, ac certaminum
 405 mater. Vnde fit, vt qui se iactare appetunt, quacunque de re digladiari sint parati. Huc
 tamen praecipue respexit Paulus, quod inanis sophistarum doctrina altius in aereas
 speculationes et argutias exurgens, sua specie non obscurat modo simplicitatem verae
 doctrinae, sed etiam opprimit ac reddit despicabilem, vt mundus fere externo splendore
 ducitur. Non vult Paulus Timotheum propterea aemulatione pungi, vt simile aliquid
 410 tentet. Cuni autem humanae curiositati magis adlubescant quae subtilitatis speciem
 praeseferunt, vel sunt ad ostentationem composita: Paulus ex aduerso pronunciat, falso
 nominari ac putari scientiam, quae se extollit aduersus simplicem et humilem pietatis
 doctrinam. Quod diligenter obseruandum est vt discamus secure ridere, ac contemnere
 to tam istam fucatam sapientiam, cuius admiratione mundus obstupescit, in qua nulla
 415 subest aedificatio. Ea enim demum, authore Paulo, vere et merito nominatur scientia,
 quae in fiducia timoreque Dei,

[p.87]

CAPVT VI.

toc est in pietate nos instituit.

Quam quidam profitentes.) Ab exitu etiam demonstrat. quam noxiosa res sit, et
 quantopere fugienda. Deus enim ita eorum arrogantiam vleiscitur, qui comparandae
 420 famae studio, pietatis doctrinam corrumpunt ac deformant, quod eos excidere patitur
 ac sani tate mentis, vt multis absurdis erroribus se inuoluant. Quod etiam videmus
 accidisse in Papatu. Nam postquam coeperunt profano more de mysteriis religionis
 nostrae philosophari, secuta sunt innumera falsarum opinionum portenta. Fides hic, vt
 superioribus aliquot locis, pro summa religionis et sana doctrina capitur. Eiusmodi exem
 425 plis moniti, si defectionem horremus a fide, maneamus in puro Dei verbo, sophisticem
 vero et omnes argutias, cum nefandae sint pietatis corruptelae. detestemur.